HIPPOCRATIS
APHORISMI,

Ex noua CLAVDII CAMPENSII
Medici interpretatione.

Eiusdem in Aphorismos Annotationes, quibus illustrantur euidentißima Galeni errata.

His deinde nexæ sunt

Animaduersiones simul cum Apologia in Galenum: itémque naturales animaduersiones in Aristotelem,

Nunc primùm in lucem editæ.



LVGDVNI,
APVD CLAVDIVM RAVOT.
1579.
CVM PRIVILEGIO.

EXTRAICT DV PRIVILEGE.

PAR grace&priuilege du Roy,est permis à Claude Rauot, libraire de Lyon, de faire imprimer ou bon luy semblera les œuures de M. CLAVDIVS CAMPENSIVS Docteur en Medecine, & icelles mettre en vente: auec deffenses à autre d'imprimer lesdictes œuures, ou parties d'icelles, de six ans, à côter du iour qu'elles seront acheuees d'imprimer. Et que mettant l'extraict dudict priuilege, il soit tenu pour suffisamment signifié. Et ne contreuenir, sur peine de tous despens, dommages & interests, comme plus amplement est declaré par les lettres dudict seigneur sur ce donnees à Paris le XXVI de Septembre, 1578

PAR LE CONSEIL

DE L'ESTOILLE.

CANDIDO LECTORI
CLAVDIVS CAMPENSIVS Medicus S. D. P.

CONSTAT omnibus, chariſsime lector, artes vniuerſas primùm inuentas fuiſſe ab autoribus antiquiſsimis, quas nihilo minus inchoatas & imperfectas diuulgauerunt: earum quoque argumento eſt philoſophia quæ de natura agit, itémque medicina. Siquidem Ariſtoteles quum ſibi vendicat plenam perceptionem rerum naturalium, ſæpenumero labitur turpiſsimis erroribus. namque videtur naturam rerum fere metiri ac ponderare ex qualitatibus irritis, quæ omnia inuoluunt, nec vlla coniectura internoſcuntur. Meritò ergo perpurgauimus naturam rerum fermè omnium, quas quiſque facilè exiſtimauerit maieſtate naturæ conditas, ne minores phyſiologi vllis implicarentur erroribus. Cæterũ medicinam Hippocrates Cous, vir & arte & facundia inſignis, diligenter perſequitur, ſed nimia breuitate cuncta perſtringit, donec neceſſariò ſequatur obſcuritas: certúmque eſt, hoc ſcribendi genus extitiſſe longè familiariſsimum cantoribus vetuſtiſsimis, neque vitio verti poteſt Hippocrati: quúmque Galenus non intueretur clariſsimas eius ſententias, excogitauit fabuloſas miſturas qualitatum, earúmque irritas temperationes, quæ omnia vana promittunt. In hunc ergo modum obſcurat totam doctrinam ſummi viri Hippocra-

tis: deinde infinitum est comprehendere dissona corporis tædia, quæ haud est consequutus Galenus. Iure ergo voluimus apparere Animaduersiones de quibusdam noxis corporis, quas nullo modo potuit cernere. adhæc expugnauimus misturas qualitatum, earúmque temperationes irritas, quibus Galenus ex toto obscurat Hippocratem: nec sine immenso labore illustrauimus septem sectiones Aphorismorum, quas nec animo nec ratione Galenus intuetur. Hæc vtique omnia tibi communicauimus, amantißime lector, quò maturius properares ad veram perceptionem cùm naturæ rerum, tum medicinæ.

Vale.

HIPPOCRATIS APHORISMI,

Ex noua CLAVDII CAMPENSII, Medici interpretatione.

APHOR. I.

Ὁ Βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

Vita breuis, ars verò longa, occaſio præceps, experimentum periculoſum. iudicium difficile. neque modò licet ſeipſum offerre miniſteriá commoda, ſed etiam præſentes, externa, ſimúlque ægrotum.

Eiuſdem CL. Campenſii medici, in primam ſectionem Aphoriſmorum Hippocratis Annotationes.

HOC initio Aphoriſmorum præfatur inſignẽ medicinæ difficultatem: huic ergo diligentius incumbendum eſt. etenim deſiderat perceptiones rerum infinitarum, ſine quibus vix iuuantur ægroti: deinde eas omnes inhibet breuitas vitæ humanæ. Denuntiant quoque longius prorogari ſtudium artis: præter hæc occaſiones remediorum ac morborum pericula cuncta præcipitant, nec repentè cernuntur præſidia commoda ſingulis ægrotis, quos impugnat vitium atrox: oritur etiamnum medicina cõiecturalis:

rationes autem coniecturæ persæpe fallũt artificem. adhæc testantur pericula experimentorum : etenim spes frustratur facilè, ísque moritur de quo primò medicus securus fuit, Celso autore. Porro iudicium & rationes noxarum corporis ac remediorum difficiliter perspiciuntur, nec vlla artium apparet inconstantior medicina. Ideóque sæpius mutata est, velut memoriæ prodidit Plinius. Cæterũ Hippocrates primus medendi præcepta clarissimè condidit, instituítque medicinam, quæ clinice vocaretur : quum fuisset mos liberatos morbis scribere in templa deorum qui auxilium tulissent, iámque templum deflagrasset, vt Plinius tradidit : nihilominus placita Hippocratis Chrysippus ingenti garrulitate mutauit, induxítque res naturales corporatas ex atomis & ramentis minutissimis, quæ per aëra volitant: quorum astrictiones & solutiones credidit prima morborum initia. Alia fuit sententia empiricorũ, quorum sentẽtias Cnidias vocat Hippocrates, principio libri de victu morborum acutorum. eos autem sequutus est Asclepiades, homo sine opibus, & orsus ex leuissima gente : qui quum sagax foret orator, nec satis in ea arte quæstuosus, repentè ad medicinam se vertit, haud alio modo quàm si è cœlo missus aduenisset. Hoc nostro æuo infinitum est narrare homines sine literis, institores, seruitia, mancipia, mediastinos, qui sui vectigalis causa medicinam exercent. quibus omnibus desertis celebramus clarissimum virum Hippocratem, eiúsque volumina plena grauissimarum sententiarum habemus magno in pretio: nihilominus compendiosa oratione multa inuoluit, adfert quoque multas ambages. crediderim eum fuisse priscis scribendi morem, quibus typographia esset ignota. Sole clarius est, concertationes medicorum circa ægros fieri nullo idem consentiente, nequis posit aucupari maiorem famã: neque dubium est deleta fuisse prima Hippocratis

præcepta

præcepta ab his quibus nouitate medendi ſpes erat trahere ægrotos. Cæterò iugiter deſideratur impiger medicus, ne ab ægroto recedat. Quocirca ab vno medico haud poſſunt multi curari: nec meritò gloriantur noſtræ ætatis medici ex turba laborantium. eos enim caſu ſanant, vel ſponte abſentes cauſæ ſunt ſuppliciorum vitio: ratio autem medēdi exigit ægrotos qui obtemperant, miniſteria eorum qui interſunt, eſcas idoneas, variam ſupellectilem, locū aptiſſimum, & externarum rerum abundantiam, quæ ancillari ſolet.

APHOR. II.

Ἐν τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίης, καὶ τοῖσιν ἐμέτοισι τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν· ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. οὕτω δὲ καὶ ἡ κενεαγγείη, ἢν μὲν οἵη δεῖ γίγνεσθαι, γίγνηται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν· ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους ἐν ᾗσι δεῖ, ἢ οὔ.

Ex perturbationibus uentris, & uomitionibus quæ ſponte fiunt, ſi purgantur quæ opus eſt, conducit & emergit tolerabile, aliâs reluctatur: ſic etiam abſtinentia ubi ea oritur quæ neceſſaria ſit, proficit manétque tolerabilis: aliâs inimicatur. Quare licet intueri regionem, tempus, ætatem ac morbos quibus aptetur, aut inimica ſit.

Hoc Aphoriſmo perpurgat fortuita præſidia ægrotantium, maximéque inanitiones quæ ſponte fiunt nullis datis catarticis. Iure ergo celebrat aluum liquidam & fortuitas vomitiones, quoniam tolerabiliter extrahunt humores noxios quibus vexātur ægroti: ſin autem profligant robur virium, nec molliunt corporis incommoda, ſunt auguria mali deterioris. Iam mirari licet hoc noſtro æuo medicos, quibus vomitiones gratæ non ſunt: quia plerumque tolerabiliter exhauriunt grauiſsima tædia internorum viſcerum, nihilominus ad infinitum blandientes ægrotis

aluum deorſum leniunt, neque extrahunt abditas morborum cauſas,quas intus vagari facile eſt perſpicere cum pernicie vitæ, donec ſupplicia properant. Adhæc abſtinentia tutiſsimum præſidium eſt,ſi adhibeatur vt ratio requirit, neque ſit ingeſtabilis. Iam mirari licet,Galenum tradidiſſe Hippocratem nunc perſequi qualitatem materiæ quæ exigitur, quoniá eſt vſus verbo qualitatis:certum eſt his literis comprehendi noxas humorum,quæ diſſonis qualitatibus plurimum variant inuicem, ac celebrãtur detracti cũ iuuamento laborantium.neque habetur in pretio Galenus: namque credidit verbum κενεαγγείην eſſe proprium venis quæ eximuntur: ſiquidem hoc loco peculiariter notat ieiunia & abſtinentiam, quæ exhaurit corpora,diſcutítque abũdè plura corporis tædia, nec adfert vitæ ſupplicia. Videtur etiamnum abroganda ſententia Galeni : ſiquidem opinatur ſingula cathartica exigere alterum genus humorũ qui deſcẽdunt,modò bilem,nunc pituitam. cunctis enim medicinis proprium eſt detrahere tædia humorum,quæ poſſunt expelli,& quorum obcæcata non ſunt itinera : nihilominus ex catarticis alia modò liquant aluũ cum flatu & crepitu, neque ex toto noxas abſconditas liberant:alia ſimul cũ aluo vomitum cient & plenius exhauriunt tædia internorum viſcerũ:quũmque medicus naturam ſequatur, hæc autem doctrina ſit compendioſa & aphoriſtica, ex fortuitis inanitionibus æſtimãdæ ſunt cùm vomitiones,tum fluores vẽtris,quos mouent catartica. Cæterò ſubiicit quatuor medicinæ locos,ex quibus eruuntur argumenta idonea ad demonſtrandum commodas inanitiones & ieiunia frugifera.Imprimis grauis regio, frigida, quia parum digerit, facilior eſt ad ferendam abſtinentiã: ardoribus autem cuncta ad vaporandũ idonea ſunt, neque ferri poteſt ieiuniũ.Similiter vires ſunt inualidiores,& ocyus vincuntur abſtinentia:pari iure tene

ra ætas

ra ætas ac puerilis diutino ieiunio prostrata ac hebes manet. Cæterò tædia corporis, quæ sequũtur materiã deficiunt, & immodicos virium lapsus ieiunio increscunt. Quare licebit existimare hos medicinæ locos fore argumento morbis omnibus qui tolluntur: neque crediderim demonstrationem fore diuersam ab iudicatione, quam fusius illustrauit Aristoteles. Sed hoc nostro æuo medici sunt ferè sine literis, & imperiti dialectices.

APHOR. III.

ΕΝ τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν. οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδέτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. τουτέων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα, μηδὲ τὰς ξυμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν (σφαλερὸν γάρ) ἀλλ' ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν. ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραί· καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι, σφαλεραί.

Habitus summæ bonitatis sunt periculosi indulgentibus exercitio, si nouissimi fuerint: siquidem nec in eodem manere nec subsistere possunt. quúmque non subsistunt, nec possunt in meliorem progredi, reliquum est retro in deteriorem reuoluantur. Ob eam ergo rem iuuat nõ cunctari boni habitus solutiones, quo rursus redeant refectionis primordia. neque summa macies agenda est (namque periculum adfert) sed qua fuerit natura eius qui sustinere debet, eatenus agitur. Aequè quoque periclitãtur inanitiones quæ nouissimè ducuntur: rursumque nouissimæ refectiones terrorem incutiunt.

His literis Hippocrates persequitur testimonia quæ denuntiant in futurum nonnulla tædia corporis. his vtique omnibus commune est aliter se corpus habere atque consueuit, neque in peius tantùm, sed in melius. Ergo siquis sano corpore plenior, speciosior, coloratior ac vegetior factus est, suspecta habe-

re bona sua debet. Neque enim potest in eo habitu subsistere, nec vltrà in meliorem progredi, quum sit habitus omnium validissimus: vbi verò dimouetur, retrò quasi ruina quadam prouoluitur in tædia corporis. Quare meritò credidit Hippocrates soluendũ esse pleniorem ac vegetiorem habitum corporis, ne transeat in noxas graues. Adhæc metum adfert, qui insueta corporis macie consumitur, ac vbi colorem decorémque perdit. nam sine causa marcor accedẽs, ocyssimè decidit in vitiosum habitum. Cæterò licet nunc intelligere Hippocratem metiri argumẽta noxarum corporis ex diuersis mutationibus, quibus quisque patet. neque enim quisquam in eodem habitu manet. Neque dubium est exercitia vegetissimum corporis habitum abducere à suo firmo statu. neque enim intendunt eius firmã vim: immò verò dimouẽt compellúntque in tædia corporis: eodem planè modo inuisa macies terrorem incutit, nihilominus peius signum est mutatione corporis validissimi. In hoc enim corpus demit quod superest, & sui copia nocet: verùm insolita corporis macies officit infirmitate & rebus quæ desunt, nec in ea quicquã est quod ipsum morbum ferat. Postremò subiicit inediam & refectionem præter consuetudinem exhibere negotiũ, quia robur virium profligant, adferunt vitæ perniciẽ & primordia morborum acutorum. Porro συμπτώσιας maciem corporis diximus, ac vbi quis suum colorẽ, decorem, & vigorem amittit: similiter κενέωσις ferè nunc continet ieiunia, quæ corpora exhauriunt. quúmque Galenus nõ teneret Hippocratem, inuoluit hunc illustrissimum Aphorismum. nam fabulatur inuisas vasorum plenitudines, quibus aut rumpũtur, aut rigescunt membratim homines, aut excæcantur corporis riui. neque dubium est vasa luxari & comprimi, vbi opus est: varices autem erumpunt laborãtes sanguine strigmentoso & vitioso.

APHOR. IIII.

AΙ' λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται, καὶ ἐν τοῖσι μακροῖσιν αἰεὶ πάθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσιν, οὗ μὴ ἐπιδέχεται, σφαλεραί. καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφιγμέναι δίαιται, χαλεπαί. καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι, χαλεπαί.

Victus exquisitus ac tenuis cùm per diutina tædia assiduè, tum per morbos acutos, quibus intolerabilis existit, periclitatur. Rursum uictus qui ad nouissimam tenuitatem peruadit, oritur difficilis. nam plenitudo quæ ad summa tendit, grauis est.

HOC Aphorismo peculiariter illustrat tenuem victum, qui non sufficit plenas epulas, & exquisitam quandam legem ac modum viuendi. Primùm autor est Hippocrates vtrumque victum suprapositum iugiter nocere morbis longis: siquidem vires infirmat, donec non sustineant noxas corporis quæ in lõgum tempus porriguntur. Adhæc tenuis victus est inefficax, neque potest impugnare morbos qui morã prorogant. Quibus similiter officit exquisita vitæ ratio, tædet ægrotos, tollit ciborum appetẽtiam, & stomachum malè habet. Igitur plerũque iuuat mutatio alimentorum, quoniam repentè abducit corpus ab eo statu in quo est, recrẽat ægrotos, corpus alit, robur auget, iuuátque escarum languidam auiditatem. Proinde vbi quis diutius à vino abstinuit, bonum est ad eius vsum transire, quò inualescat debilitatus abstinẽtia vini quæ mansit diutius. Cæterùm victus tenuis & exquisitus reluctatur morbis acutis, qui nõ onere sed infirmitate nocent, quoniam exasperat maciem corporis, ac intẽdit immodicos virium lapsus: deinde repudiat ex toto victum tenuissimum, atque ieiunia immoderata, quandoquidem creant periculosos virium langores. Ideóque tutius est iugiter offerre alimenta ægrotis, quò reseruetur vitæ consuetudo, ne insueta abstinentia moueat graues noxas. Cæterò

perhibet inuisam ac insolitam abstinentiam nocere infirmitate: velut crapula sui copia malè habet.

APHOR. V.

ΕΝ τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες, διὸ μᾶλλον βλάπτονται. πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα, ὃ ἂν γίνηται, μέγα γίνεται μᾶλλον ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι διαίτῃσι. διὰ τοῦτο καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι. διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῶν σμικρὸν ἁδροτέρων.

Tenuis victus offendit ægrotos: propterea magis nocet: quãdoquidem uitium ingens citius properat ex tenui quàm ex paulo liberaliore victu. Ideóque sanis periclitatur tenuis admodum victus, constitutus exquisitúsque, quoniam tædia difficilius sustinent. Proinde tenuis victus & exquisitus sæpe maius periculum adfert quã paulo plenior.

Hoc Aphorismo Hippocrates damnat tenuem victum, quia nocet infirmitate, eiúsque fiducia ægroti persæpe fatigantur vehementius: qui quum haud succurrit primis tribus aut quatuor diebus, alia præsidia vestiganda sunt. Cæterùm esca liberalis officit modò quibusdã cruditatibus & corruptionibus: quæ quum sunt exiguæ, minus offendunt quàm imbecillitas concitata ex tenui victu. hic ergo timidius offerri debet. Iam interdicit tenuissimis epulis & frugalissimis, vbi quis sanus est, ne tabe cõsumi possit: victus enim tenuis officit nimio virium langore: sed morbi ex infirmitate grauiores sunt quàm ex maiore humorum abundantia. Itaque bonum est sanos vti assueta vitæ ratione; & esca vulgari quibusque genitis mortalibus, maximéque vbi sunt suæ spontis, nec tutò obligantur legibus medicorum.

APHOR. VI.

ΕΣ δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται.

Morbis nouissimis nouissimæ curationes adferunt præstantissimam sedulitatem.

HIC Aphorismus celebrat diligentiam remediorum quæ nouissima requirunt noxæ grauissimæ, ne ad necem maturam nos præcipitent. Quare & victus & cætera præsidia sunt æstimanda ex impetu morborum longè crudelissimo.

APHOR. VII.

ΟΚου μὲν οὖν κάτοξυ τὸ νόσημα, αὐτίκα τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει, καὶ τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. ὅκου δὲ μὴ, ἀλλ᾽ ἐνδέχεται ἁδροτέρως διαιτᾶν, τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον ἂν ἡ νοῦσος μαλθακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ.

Vbi morbus est peracutus, labores nouissimi properant: itémque necessarium est uti summopere tenui uictu. Aliâs ubi est tolerabilis liberalior uictus, adeò moderandus est, quoad morbus nouissimis mollior fuerit.

PRINCIPIO huius Aphorismi aperit morbos acutos aut nouissimos, quia mouent grauiores cruciatus, fatigationes, & virium langorem. adhæc exhibet morbis acutis victum tenuissimum, præsertim si copia noceant. omnis enim dolor & fatigatio hebetat alimentorum concoctionem, mouet cruditates & corruptelam escarum: vbi verò cuncta sunt mitiora, victus moderatur ex impetu morbi grauioris aut leuioris. Itaque opus est alere liberalius morbo remisso.

APHOR. VIII.

ΟΚόταν δὲ ἀκμάζῃ τὸ νούσημα, τότε καὶ τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι.

Vbi morbus uiget, tum demum est necessarius uictus tenuis.

HOC Aphorismo ex vigore & sæuissimo impetu noxarum corporis metitur tenuem victum, nisi infir

mitas noceat, desintque necessaria ad vires alendas. vbi namque materia onerat ægrotos, pugnādum est abstinentia, quandiu vires supersunt: quæ quū debilitantur, cibo licet subuenire. Cæterò noctu ferè morbi vigent & crescunt. idcirco tempus antelucanum legitur aptius alendis ægrotis, maximéque post mediam noctem, quo tempore ægroti potissimum dormiunt, & leuantur cunctis fatigationibus.

APHOR. IX.

Συντεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νούσου, καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει πρότερον, καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ, ἢ ἡ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει καὶ ἀμβλυνεῖται.

Iam oportet ægrotum coniicere si sit abundans uictus contra morbi uigorem, ac utrum ille prius deficiat, nec uictus sit abunde futurus: uel utrum morbus prior quiescat ac hebescat.

Hoc Aphorismo declarat esse æstimandas vires ægrotantium, ex quibus tutum est victum dare, qui abunde sustineat virium robur, donec morbus crudelissimus eiúsque vigor ingestabilis mitescat. Tradit ergo esse offerenda alimenta ægrotis, quæ vires possint alere & pugnare tædia corporis. nemo negat cibum densum non conducere ante morbi decessiones: verùm satis est modò hebes quædam esca cuius corruptiones & cruditates repentè vaporantur, neque perdiu nocent.

APHOR. X.

Ὁκόσοισι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾷν· ὁκόσοισι δὲ ἐς ὕστερον ἡ ἀκμὴ, ἐς ἐκεῖνο καὶ πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον. ἔμπροσθεν δὲ πιοτέρως διαιτᾷν, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Quibus repentè uigor nascitur, protinus offertur uictus tenuis: qui quum posterior est, eo sæuiente ac prius, parcè eximere licet. nihilominus antè liberalius aletur, donec abunde sit futurus æger.

Hoc Aphorismo metitur rationem alēdi ex morbi vigore & eius grauissimo impetu, quoniam vires prosternit vltra modum, nec tutò subuenit cibus nisi languescat æger ex intolerabili ieiunio. Iure ergo tradit ægrotos esse alendos liberalius ante morbi vigorem, vt viribus pollerent, donec cuncta mollian tur. Cæterò est interdicendum densioribus epulis, ne densas grauésque corruptiones & cruditates moueant. namque proficiunt vbi decedunt tædia corporis, ipsáque decessio consistit.

APHOR. XI.

ΕΝ τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρὴ· τὸ προστιθέναι γὰρ βλάπτει. καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή.

Accessiones uitare oportet: nocent enim adiectione. quúmque per circuitus exasperantur accedúntque, licet accessiones uitare.

Hoc Aphorismo illustrat victum morborum qui aliquo circuitu redeunt. tradit ergo cibum ex toto abdicandum esse quum morbi accedunt, quia aut malè habent stomachum, aut se vertūt in corruptiones & cruditates atrocissimas. Similiter abrogandus est cibus omnis, quum tædia corporis crescunt, & fatigationes intenduntur: verùm tempus remissionis legi debet. proinde vesperi non licet alere ægrotos.

APHOR. XII.

ΤΟὺς δὲ παροξυσμοὺς καὶ τὰς καταστάσιας δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος, καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας αἱ ἐπιδόσιες, ἤν τε καθ' ἡμέρην, ἤν τε παρ' ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίγνωνται. ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν, οἷον ἐν πλευριτικοῖσι, πτύελον ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένου, βραχύνει· ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει. καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήματα, καὶ ἱδρῶτες, καὶ εὔκριτα, καὶ δύσκριτα, καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα, ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.

Morbi denuntiant accesſiones & conſtitutiones, itémque anni tẽpora & incrementa inuicem periodica, ſiue quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue longiore mora prodeunt. demonſtrantur etiamnum per ea quæ apparent: uelut laborantibus latere ſi ſputum protinus per initia uiſitur, adfert breuitatem: ſi appareat in poſterum, prorogat morã. Vrinæ quoque & uentris demotiones ac ſudores teſtantur noxas faciles difficiléſque ad iudicandum, ſimul etiam breues & longas.

Hoc Aphoriſmo autor eſt Hippocrates acceſſiones & conſtitutiones deprehendi ex incommodis corporis, fatigationibus ac doloribus qui vrgent: neque dubium eſt his literis morbum continere vniuerſa corporis tædia, quæ cum malis omnibus nos inuadunt. porro ex ſingulis morbis facile eſt perſpicere ſingulas acceſsiones & conſtitutiones vitiorum. Cæterò nominauit duntaxat acceſsiones & conſtitutiones morborum: quamuis ſoleant incipere, inſtare, creſcere, conſiſtere, decedere, & in ipſa deceſsione cõſiſtere, atque nonnunquam radicitus finiri. Verùm perpurgaturus victum frugaliſsimum, vſúmque ciborum, declarauit modò teſtimonia quæ morborum acceſsiones & conſtitutiones docerent, ex quibus repentè cernitur incrementum. neque enim prodeſt eſca denſior antequam decedant morbi acutiſsimi. nã vbi accedunt, creſcunt, aut conſiſtunt, licet modò viribus conſulere hebetiori quadam eſca, cuius corruptiones & cruditates ſubinde domantur. Adhæc anni tempus ilico teſtatur acceſsiones & conſtitutiones morborum, quoniam interdum properant eorum impetus, aliàs morantur. Deinde periodicæ febres quotidianæ, tertianæ & quartanæ ocyſsimè tranſeũt in morbos acutos, quos inſtare teſtatur circuitus ingeſtabilis, ac vbi febre quieſcente corpus non eſt integrum: poſtremò recrementa vitioſa & innoxia docent principia morborum, impetus ſæuiſsimos, finẽ maturum aut longam moram. Quare cõſulendi ſunt ob eam rem libri præſagiorum.

APHOR.

APHOR. XIII.

Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι, δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία. τουτέων δὲ αὐτέων ἅπερ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑωυτῶν προθυμότερα ἐόντα.

Ieiunium est senibus tolerabile, deinde ubi ætas constitit, adolescentulis minimè, præsertim puellis, quos animosiores esse contingit.

Hoc Aphorismo ex ætatibus metitur abstinentiã, ac cibonum vsum modúmque. primùm perhibet ieiuniũ in senectute tolerabile, ideóque eo æuo parcior cibus est vtilis: liberalior enim degenerat in cruditatem & corruptã materiam, quæ miscetur causæ morbi, & omnia exasperat. Adhæc firma ætas, quæque constitit, facilè adhibet abstinẽtiam, neque prosternitur ieiuniis: ætas autem puerorum mollissima ac tenerrima inualidior est, neque tolerabiliter sustinet ieiunia. qúmque ex infantibus nonnulli sint animosiores & expeditiores ad ea quæ incidunt, facilius vexantur ieiuniis, animo laborant, ac eorum deliciis est quidpiam indulgendum.

APHOR. XIIII.

Τὰ αὐξανόμενα, πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν· πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς· εἰ δὲ μὴ, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. Γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμόν· διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται. ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται. διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες· ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα.

Quæ crescunt, copioso calore naturali constant, ideóque liberalitatem ciborum expetunt: aliâs consumuntur corpora. Verùm in senectute calor parcus est: licet ergo parcius fouere. extinguitur enim fotus abundantia. Quocirca febres haud eodem modo senibus acutæ procedunt, quoniam sunt corpore alsioso.

Hoc Aphorismo tradit æstimandam esse abstinentiam ex corpore crescente aut senescente. Imprimis liberalius aluntur qui crescunt: siquidem requi-

runt cibum qui vires alat,& qui augmentum adferat: nihilominus ex vbertate caloris naturalis efficit necessarium esse alimentum liberalius: quoniam testatur hominem vegetissimum,eiúsque vires potentissimas ad cibum percoquendū. Itaque meritò insuetum ieiunium tabe consumit iuuenes ac eos qui crescunt:siquidem ex eo corpus non alitur aut minus assumit quàm deberet. Igitur cibus qui deest, infirmat, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis verò eorum locū subeuntibus, oritur summa macies (quam Græci ἀτροφίαν vocant)tollítque, nisi occurritur, Celso autore. Pari iure senes quibus cuncta decrescunt,constant calore leuissimo, ac viribus infirmis, quæ non ferunt escam liberalem. Itaque vbi nimia auiditate plus assumunt quàm deberent,quicquid superat,corrumpitur,putrescit in bilem,pituitā,& malos humores qui exasperant vires languidas, & excitant maciem supradictam. Iam perhibet,in senectute calorem leuissimum, quoniam febres lentæ ceu pigræ sine calore fermè nascuntur, súntque dissimiles febribus ardētibus.sunt enim alsiosi corporis, quod nunquam ardoribus laborat. Porro cibum peculiarem senibus dixit fomitem, quia fouet alítque minutissimum calorem eius ætatis. Sunt autem abrogandi physiologi,qui perhibent naturalem calorem alimēta percoquere, quoniam illud proprium est viribus ad coquendum idoneis. Tamen calor existit insignis per firmā ætatē,neque negari potuit animalib⁹ sensu motúque præditis. sensus enim exacuit, motū iuuat, deinde firmatur & moritur simul cum toto corpore.

APHOR. XV.

Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει, καὶ ὕπνοι μακρότατοι· ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον. καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πολὺ ἔχουσι. Τροφῆς οὖν πλείονος δέονται. σημεῖον αἱ ἡλικίαι, καὶ οἱ ἀθληταί.

Yen-

Ventres hyeme ac uere sunt naturaliter calidissimi somnique longissimi. Quocirca eo tẽpore dandus est liberalior cibus. abundat enim naturalis calor: proinde requirit cibum uberiorem. cuius sunt indices cùm ætates tum athletæ.

PRINCIPIO huius Aphoriſmi declarat ventres & ſinuoſos omnes corporis ſpecus eſſe calidiſsimos vere ac hyeme: pariter tellus per id tẽpus cõſtat ſuis cauitatibus longè calidiſſimis. idcirco plurimum valent ad digerendum. Simili ratione diutius premit ſomnus vere ac hyeme, quoniam vires corporis externo frigore in ſegnitiem facilè delabuntur, & requiruntur cuncta validiora, quò ferant iniurias cœleſtes. Iure ergo cibus datur liberalior vere ac hyeme, tum quia vires potentiores ali debent, tum quia cibus digeritur in magna copia. Cuius argumento ſunt ætates & athletæ. Nam firma ætas liberaliter alitur: plurimum namque digerit, nec eius robur ſeruatur frugali cibo: æquè quoque athletæ requirunt magnam eſcarum abundantiam, quò præſtent robuſtis viribus, & ſuſtineant exercitia quibus ſe credunt, quoniam plurimum valent ad vaporandum & digerendum quæ intus ſunt.

APHOR. XVI.

Αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι μάλιστα δὲ παιδίοισι, καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τοῖσιν οὕτως εἰθισμένοισι διαιτᾶσθαι.

Victus humidus conducit omnibus febriculosis, maximéque pueris, & cæteris quibus in hunc modum solet usuuenire.

HOC Aphoriſmo perpurgat cibum peculiarem febre correptis, quos malè habent humores corrupti, acres, ſalſi ac fellei. Ideóque leuantur cibo humido, aut humori quamproximo, vtique ex materia leuiſsima, maximéque ſorbitionibus. ſiquidem maturè coquuntur, mulcent acrem materiam, reprimunt fel-

eum virus, ſitim finiunt, & obtinent mediam quandam vim inter potionem cibúmque denſum. Adhæc vbi corrumpuntur vel in cruditatem degenerant, mouent noxas faciles ad vaporandum. ſiquidem ſorbitio hebes cibus eſt, neque domatur difficiliter. Nunc ſubiicit ſorbitiones & iuſcula eſſe in deliciis pueris, & pleriſque genitis mortalibus, quibus ſunt in conſuetudine. Quæ quum ſunt inuiſa ac inſueta, protinus tollunt ciborum appetentiam, & mouent tædium.

APHOR. XVII.

KAὶ οἷσιν ἅπαξ, ἢ δὶς, καὶ πλείω ἢ ἐλάσσω, καὶ κατὰ μέρος. δοτέον δέ τι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, καὶ τῷ ἔθει.

Victus ſemel, bis, liberalius, parcius aut membratim proficit: nihilominus eſt concedendũ quidpiã tẽpori, regioni ætati & conſuetudini.

Hoc Aphoriſmo perſequitur cibum opportunè datum ægrotis. viribus enim iam morbo langueſcẽtibus ſubuenit. Meritò ergo viſendus eſt ægrotus cui plus virium tædia corporis auferunt. Hic enim requirit cibum maturius ea lege vt exhibeatur vbi conſiſtit deceſsio, aut quandocũque minuitur. Adhęc cœlum calidum magis digerit, requiritque maturiorem corporis refectionem, neque in regionibus calidis vllis diebus ægroti abſtinent. tenerrima quoque ætas ocyus cibis indulget: deinde licet ſequi aſſuetũ vſum edendi, ne inuiſum ieiunium perdat hominem.

APHOR. XVIII.

ΘΈρεος καὶ φθινοπώρου σιτία δυσφορώτατα φέρουσι, χειμῶνος ῥήϊστα, ἦρος δεύτερον.

AEſtate ac autumno alimenta ægerrimè feruntur, hyeme facillimè, mox uere.

Hoc Aphoriſmo declarat cibum fore magis noxium æſtate ac autumno, & vbi ardores emergunt. ſiquidem ex circundato flagrante ſpiritu inflammãtur viſcera,

viſcera, profligantur vires, neque percoquitur cibus vt decet: imò verò obiter vitiatur in bilem, pituitam, & malos humores qui febres creant. Atqui frigoribus inualeſcit ſedes internorum viſcerum, nec facilè nocet eſcarum cruditas.

APHOR. XIX.

Τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομένοισι μηδὲν διδόναι, μηδ᾽ ἀναγκάζειν, ἀλλ᾽ ἀφαιρέειν τῶν προσθεσίων πρὸ τῶν κρισίων.

Vbi exaſperantur per circuitus, nihil offertur, nihil vrgetur, ſed adiectio demitur ante criſim.

Hoc Aphoriſmo interdicit epulis & medicinis omnibus, vbi certo circuitu intenduntur tædia corporis: ſiquidem vires profligant, neque coquitur cibus, ſed in corruptam materiam tranſit, aut manet crudus, neque vires alit. æquè quoque medicinæ locus nullus eſt, quia vires labant, & exaſperantur corporis incommoda. Idcirco vitare licet ciborũ vſum, & omnem corporis refectionem, donec appareat euidens morborum mutatio, quam criſim Hippocrates appellat.

APHOR. XX.

Τὰ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ᾽ ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ᾽ ἐᾷν.

Quæ iudicantur & ſunt integrè iudicata, haud moueantur, haud nouentur, non pharmacis, non laceſſentibus alio modo, ſed maneant.

Hoc Aphoriſmo Hippocrates autor eſt debere abdicari geſtationes, balnea, fomenta, pharmaca, ieiunia, & omnes fatigationes quibus medici ſæpe torto ris vicem implent, ſimulatque morbi ex toto quieuerunt, aut plenus finis futurus apparet. melius enim eſt naturam domare ſua ſponte vniuerſa corporis in-

commoda, quàm infinitis cruciatibus properare plerumque vitæ perniciem.

APHOR. XXI.

Α Δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.

Quæ ducenda sunt, quò potissimum natura declinat locis commodis, eò duci debent.

HIC Aphorismus est peculiaris malis humoribus, qui mouent corporis noxas, & extrahuntur ea parte quam natura adhiberet ad eos exigendos, si sit commoda, eius emissaria fatiscunt, reddúntque sine metu quicquid vitiatum & superuacuum est.

APHOR. XXII.

Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ· τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Concocta medicari par est ac mouere non cruda, neque per initia, nisi turgent: persæpe verò haud turgent.

HIC Aphorismus peculiariter illustrat medicationes & mutationes corporis quibus medici morbos pugnāt, & plerumque vexāt crudelius ægrotos. quúmque crudus cibus malè habet & morborū causa est, Hippocrates hortatur abrogandas esse medicationes & fatigationes medicorum, donec concoctio visa sit. Meritò ergo prisci datis quibusdam medicamentis concoctionem moliebantur, eo quòd cruditatem maximè horrerent: deinde eā materiam quæ lædere videbatur, ducendo sæpius aluum, subtrahebant, Celso autore. Pari iure per initia, quum recens morbus est, licet abdicare medicationes & cruciatus medicorum, ne ex his vires maneant languidissimæ: sed pugnandum est abstinentia tolerabili. Nihilominus quandoque turgent corporis tædia, nocent oneri & corruptioni ingestabili, neque succurruntur, nisi adhi-

adhibeantur pharmaca, & quicquid exhaurit noxas intus abditas: si verò noceant effuso virium robore, & rebus quæ desunt, consulendum est cibo idoneo, & subscribendum laborantium luxuriæ.

APHOR. XXIII.

ΤᾺ χωρέοντα, μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ᾽ ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ καὶ φέρει εὐφόρως, καὶ ὅκου δεῖ, μέχρι λειποθυμίης ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιέειν ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Quæ reiiciuntur, ex abundantia non debent æstimari: immò uerò quia deiiciuntur quæ necessaria sunt, & nascantur tolerabilia, ducuntur quoque donec exanimentur ubi opus est: id etiam fit quum abundat ægrotus.

Hoc Aphorismo memoriæ prodidit vniuersas deiectiones celebrari, quia extrahunt noxas humorum tolerabiliter, & sunt præsidio ægrotis, etiamsi non effundatur insignis humorum copia. qúmque frequenter exanimentur ægroti datis medicamentis & corpore exhausto, quoniam ferè sunt comitiales, ratus est id non abrogare vsum medicamentorum quæ valent ad exinaniendum materiam inutilem & vitiatam, nisi morbus noceat materia deficiente & viribus infirmis, quibus subuenit cibus opportunè sumptus.

APHOR. XXIIII.

ΕΝ τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν.

In morbis acutis & per initia raró medicationes sunt in usu, fiuntque antecedente iudicio, ut decet aut securó.

Nvnc tradit abdicandas esse medicationes per morbos acutos ac recentes, quia sequuntur ea quæ desunt aut vires infirmas, quæ quidem medicationibus exasperantur. deindè in morbo recenti licet potissimùm ieiunio pugnare, ne subsit vlla ciborũ cru-

ditas mali cauſa. Cæterò medicationes tutò dantur, vbi materia ſuperuacua aut corrupta eſt, cuius effuſio ſanitatem reddit.

APHOR. XXV.

HN οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι· τὰ δ' ἐναντία, δυσχερῶς.

Si purgantur quæ purganda ſunt, iuuat, & emergit tolerabile: contraria verò ingeſtabilia naſcuntur.

Hoc Aphoriſmo paucis metitur vtiles purgationes, quia ſunt auxilio, neque hominem conuellunt, ſed feruntur facilè.

CLAVDII CAMPENSII MEDICI IN SECVNDAM SECTIONEM Aphoriſmorum Hippocratis Annotationes.

APHOR. I.

EN ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέῃ, θανάσιμον· ἢν δὲ ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον.

In quo morbo ſomnus laborem creat, mortis indicium eſt: ſi iuuat, non teſtatur mortem.

Hoc Aphoriſmo declarat æſtimari mortifera corporis tædia, quia non eſt tolerabilis ſomnus, in eo ſomnia tumultuoſa viſuntur, neque leuat ægrotos: ſed intus omnes noxas intendit.

APHOR. II.

OKου παρεφροσύνην ὕπνος παύῃ, ἀγαθόν.

Vbi ſomnus deſipientiam finit, eſt in bonis.

Nunc tradit ſomnum frugiferum deprehendi, quoniam ſuccurrit inſaniẽtibus, etiamſi diu maneat, & ferè appareat vim ſoporis habere. namque argumento eſt dormientibus firmari vires ſenſu & motu præditas. Pariter commendatur ſomnus, quia lenit nonnullas corporis noxas: cæterò cunctis ferè deſipientibus ſomnus & difficilis & potiſsimum neceſſarius eſt: ſub hoc enim plerique ſaneſcunt.

APHOR. III.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα, κακόν.

Somnus & uigilia, utraque sunt in malis, si modum superant.

Hoc Aphorismo perhibet noxas terribiles æstimari ex somno & peruigilio, quæ transeunt modum. neque enim sine dolore & fatigatione intolerabili ægroti emergunt vigiles: æquè quoque grauantur somno & veterno, quibus sunt in præcipiti omnia.

APHOR. IIII.

Οὐ πλησμονὴ, οὐ λιμὸς, οὐδ᾽ ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν ὅ, τι ἂν μᾶλλον τῆς φύσιος ᾖ.

Non saturitas, non ieiunium, nec aliud ullum bonum est quod uincit naturæ modum.

Hoc Aphorismo notat ægrotos haud solicitandos esse diutino ieiunio, ne fames eos perdat. neque sunt vexandi insigni saturitate, quoniam se vertit in cruditates & corruptam materiam quæ miscetur causæ morbi. Ideóque meritò ægrotis aptantur remedia quæ vires alunt, neque transeunt naturalem mediocritatem eorum quibus indulgemus. Proinde coniiciuntur vires ægrotantium, & quandiu ferre possunt pugnandum est inedia, & exinanienda tædia humorum, si morbus noceat onere aut corruptione: si verò materia desit, cibo subueniendum est, neque licet ægrotum lacessere medicorum manu, nec eorum artibus.

APHOR. V.

Κόποι αὐτόματοι φράζουσι νούσους.

Lassitudines quæ sponte constant, sunt indices morborum.

Hoc Aphorismo præsagit in futurum noxas corporis ex lassitudinibus & fatigationibus, quæ sponte

te fiunt, nec ſequũtur exercitia immoderata, non ſudationes, non inanitiones, non aliam cauſam euidentem: verùm ſua ſponte corpus laſſatur quaſi ſub graui faſce oneratum vitioſis humoribus, qui naturam infirmant, & metum incutiunt. Porro vires languidæ iugiter excitant periculum mali grauioris, quum ſalus omnis in corpore firmo ſit poſita. Cæterò Galenus his literis repudiandus eſt: ſiquidem tribuit laſſitudini, aut viribus infirmis, quæ dolori propria ſunt. dolor namque mox grauis viget, nunc adfert roſiones ſimiles vlceribus, interdum malè habet, iuxta ac inflammationes plerumque nos inuadunt.

APHOR. VI.

Ὁκόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος, τὰ πολλὰ τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται, τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσεῖ.

Vbi aliqua parte corpus cruciatur, nec ſæpe doloris ſenſus eſt, mens labat.

Hoc Aphoriſmo declarat cauſas cur plerumque idem morbus hæret, fatigationes ſunt ſimiles, neque dolores percipiuntur. Siquidẽ mens ægrotat, alienatur, eáque occupata vanis cogitationibus, & rebus alienis addicta haud intuetur tædia corporis, nec eorum ſenſus vllus eſt. Iure ergo nonnulli rati ſunt dolorem verſari in opinione, & ſenſu mentis.

APHOR. VII.

Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπαναστρέφειν δεῖ· τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως.

Corpora extenuata longo tempore, lentè reficienda ſunt: uerùm modico tempore extenuata, paucis inſtaurari debent.

Hic Aphoriſmus eſt proprius macie cõſumptis ob grauiſsima corporis incommoda, quæ vires infirmant, & hebetant refectionem. Iam autor eſt

Hippocrates corpus diutius insuetum non ali, paulatim instaurãdum esse, ne subita multitudine curatum in cruditates & corruptiones recidat: verùm matura tabes quæ moram non prorogauit, desinit protinus. In hac enim firmiora sunt viscera, nec admodum languent partes quæ cibum sufficiunt. Mirum est Galenum tradidisse subitam maciem corporis concitari modò ex inanitis spiritibus ac humoribus: siquidem macilentis omnibus corpulentia cum carne extenuatur.

APHOR. VIII.

EΙ' ἐκ νούσου τροφὴν λαμβάνων τις μὴ ἰσχύῃ, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ τὸ σῶμα χρέεται· ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντος, τοῦτο γίνηται, χρὴ εἰδέναι ὅτι κενώσιος δεῖται.

Siquis ex morbo cibum capiens non inualescit, augurium est corpus liberalius epulari: quod quum euenit, nullo dato pastu, scire licet requiri inanitionem.

Hoc Aphorismo persequitur liberatos sinistra valetudine, qui nullam refectionem capiunt, neque reualescunt cibo dato, cuius vtique mali duplicem causam complectitur Hippocrates. nam vel datur cibus liberalior quàm possit confici: itaque manet crudus, corrumpitur, aut putrescit in bilẽ vel pituitam, atque nullam corporis refectionem exhibet. Id etiamnum fit ex incommodis reliquiarum quę corpus infirmant, adferunt motum recidiuæ, & morborum pericula, nisi detrahantur vt æquum est.

APHOR. IX.

ΤΑ' σώματα χρὴ, ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν.

Vbi est aliqua uoluntas purgandi corpora, reddantur facilè fluida

Hoc Aphorismo Hippocrates interdicit purgationibus

tionibus, vbi corpora ſunt aſtricta, & cuncta emiſſaria pręcluduntur. Iure ergo autor eſt Celſus ventrē priùs ſoluendum eſſe, ſiquis ab inferiori parte purgandus eſt: vbi à ſuperiore, comprimendum. neque aliter corpora purgationibus aptantur.

APHOR. X.

ΤΑ' μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον αὖ θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις.

Quo liberalius nutriuntur impura corpora magis conflictabuntur.

Hoc Aphoriſmo declarat abſtinentiam nedum iuuare, vbi materia ſui copia nocet, verumetiam quia corrupta eſt. Idcirco dum vires ſuperſunt, ne exhibeatur cibus, quibus iam langueſcentibus, cibo eſt conſulendum. Nam vel cruditas eſcarum, vel noui humores, in quos putreſcunt ac degenerant, miſcentur corruptę materiæ, & cūcta incōmoda intrudunt.

APHOR. XI.

ΡΑ̃ον πληροῦσθαι ποτοῦ, ἢ σιτίου.

Facilius eſt impleri potu quàm eſca.

Hoc Aphoriſmo Hippocrates ſignificat potiones fieri minus noxias cibo denſo: ſiquidem noxæ & cruditates quas excitant, ſubinde vaporantur ac deſinunt: verùm denſior cibus mouet denſa incommoda, quæ moram prorogant, nec maturè finiuntur. Itaque eſt magis indulgēdum potionibus ægrotantium & ſorbitionibus quàm denſis epulis.

APHOR. XII.

ΤΑ' ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μετὰ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν.

Quæ p.r morbos poſt criſim man nt, aſſueuerunt recidiuas cōcitare.

Hoc Aphoriſmo præſagit in futurum recidiuas

ex infirmitate, macie & incommodis corporis, quæ ſimul cum morbo non quieſcunt. nam teſtantur intus ſubeſſe materiam arduam ad expellendum, aut vires langueſcere ſine modo.

AHHOR. XIII.

ΟΚόσοισι κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ· ἡ δὲ ἐπιοῦσα, εὐφορωτέρη ὡς ἐπιτοπολύ.

Quibuſcunque oritur criſis, mox ante acceſsionem grauis eſt: uerùm ſubſequens ferè exiſtit tolerabilior.

Hoc Aphoriſmo illuſtrat teſtimonia morborum qui deſierunt: ſiquidem ex cœpta criſi ſæpe medici fruſtrantur: quoniam neque per liquidam aluum, neque per vomitiones, neque per cruenta profluuia, neque per conſpicuas inanitiones deſiſtunt. Nihilominus ægroti ſaneſcunt abdito quodam modo, & natura ſuapte vi reualeſcente. Idque tradit Hippocrates æſtimari ex tolerabili nocte, in qua laborãtes dormiunt naturaliter, nec fatigantur vt aſſueuerant. Etenim triſtiſsimæ & grauiſſimę noctes teſtãtur cruciatus aſsiduos. qúmque Hippocrates deprehenderet multa genera morborum paulatim quieſcere, ſubiicit, noctes mitiores ſæpenumero comitari cœptam criſim. nã plerũque deinceps moratur inſignis labes humorum, intus conditur, & mouet æquè graues cruciatus atque ſi nulla criſis anteceſsiſſet. Cæterùm nox tenebris offuſa ſimilis ferè autumno triſtior ſemper ſentitur. Etenim lumen concordia quadam naturali robur auget interdiu.

APHOR. XIIII.

ΕΝ τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν, αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ.

Aluo fuſa mutationes excrementorum ſunt auxilio, niſi in perniciem degenerant.

Hic Aphoriſmus eſt proprius reſolutionibus alui

quæ

quæ ſuccurrunt vbi mutatur deiectio: velut quum matutinis temporibus eſt magis coacta, aut ſi procedente tempore paulatim contrahitur aluus, ac deſinit tetra fœditas eorum quæ deſcendunt. vbi verò iugiter detrahuntur humores corrupti, nigri, virides, mucoſi, & inimici naturæ, qui cuncta proſternunt, nec morantur eorum fluores, incutiunt metum.

APHOR. XV.

Ὁκου φάρυγξ νοσέει, ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, τὰς ἐκκρίσιας σκέπτεσθαι. ἢν γὰρ χολώδεες ἔωσι, τὸ σῶμα ξυννοσέει· ἢν δὲ ὅμοιαι τῇσι ὑγιαινούσῃσι γίνωνται, ἀσφαλὲς τὸ σῶμα τρέφειν.

Vbi fauces ægrotant, uel tubercula corpore prorumpunt, licet excrementa intueri, quæ quum biliosa sunt, corpus simul negotium exhibet: ubi uerò similia sanis redduntur, tutum est corpus alere.

HIC Aphoriſmus eſt proprius incommodis extremarum corporis partium, ſiue ſint papularum eruptiones, ſiue collectiones, ſiue vlcera quæ naſcuntur per morbos acutos, aut ſine vllo cubitu ſanos inuadunt: eodem planè modo conuenit noxis faucium quæ procul ab internis viſceribus diſtant, numeranturque propemodum in extremitatibus corporis. Iam tradit vitia faucium & extremitatum noxas nullum terrorem incutere, ſi integra maneant viſcera, neque interanea vllum faceſſant negotium: ſiquidem conſulunt cæteris corporis partibus, robur augent, & reddunt cuncta ſecuriſsima. Ideóque metitur integra & ſalua interna viſcera ex recrementis quæ ſanis ſimilia ſunt. Quum autem vrinæ ſudores, ſcreatus & aluus habent fellcam vim, ſunt vitioſa, mucoſa, & diſsimilia ſanis, teſtantur intus condita incommoda, quæ quum annectuntur noxis faucium & extremarum partium morbis, non ſunt ſine metu.

APHOR. XVI.

Ὁκου λιμὸς, οὐ δεῖ πονέειν.

Vbi ieiunio consulitur, non licet laboribus indulgere.

Hic Aphoriſmus aptatur morbis quos inpugnat inedia, neque ſimul ſuſtinent fatigationes, neque exercitia, neque cæteros cruciatus quibus medici ſæpe crudelius vexant ægrotos. Verùm abſtinentium luxuriæ eſt ſubſcribendum, pugnandúmque ſolo ieiunio, ne maior infirmitas perdat hominem.

Aphor. XVII.

Ὅκου αἲ τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ, τοῦτο τὴν νοῦσον ποιέει, δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ἴησις.

Vbi eſca præter naturam liberalius ſumitur, morbum creat, quem teſtatur ſanatio.

Hoc Aphoriſmo autor eſt Hippocrates liberaliorem cibum præter naturam & conſuetudinem edendi impugnare ſecũdam valetudinem: ſiquidem nocet copia inſueta, quam vires non ſuſtinent, degenerat in crudam materiam, putreſcítque in bilioſas & pituitoſos humores, quibus licet ſuccurrere.

Aphor. XVIII.

Τῶν τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως, ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίνονται.

Quæ affatim & protinus alunt, mouent ſubitas deiectiones.

Hic Aphoriſmus perpurgat, alimenta quæ liberaliter & ſubitò nos alunt. his enim datis non morantur deiectiones, quoniam protinus deſcendit aluus, redditur vrina, & detrahuntur reliquiæ epularum fæculentæ ac inutiles ad alendum. Id verò ſignum eſt intus modò ſubeſſe partes eſcarum idoneas ad inſtaurandum, iámque omnes earum noxas eſſe ſeparatas. Videtur autem potiſsimum agere de cibo denſo qui præſtat copioſam refectionem, & relinquit ſtercoraceas fæces plurimas, quæ redduntur aluo. Iure ergo in magnas reprehenſiones incurrunt qui opinãtur hunc Aphoriſmum illuſtrare diſſolu-

tiones aut vaporationes eſcarum quę conſumptionis nomen obtinent:ſiquidem corpus humanum vaporatur & conſumitur in faciem eorum quæ teruntur vetuſtate,neque id excretionis proprium eſt. Agit vtique Hippocrates de recrementis & aluo, quæ mature redditur data eſca ſubitæ concoctionis.

APHOR. XIX.

Τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγιείης.

Morborum acutorum non omnino ſunt certa prænuntia ſalutis uel mortis.

Hoc Aphoriſmo tradit auguria morborum acutorum eſſe in ancipiti poſita. eſt enim medicina ars coniecturalis,& notæ ſalutis vel mortis etiam in vicino poſitæ,frequenter decipiunt non bonos ſed imperitos medicos.Idcirco,Celſo autore,vir magni nominis Democritus ne finitæ quidem vitæ ſatis certas notas eſſe propoſuit, quibus medici tutò credidiſſent. Nec iniuria deſerti à medicis nonnunquam reualeſcunt,quidam etiamnum in ipſis funeribus,reuixerunt: Aſclepiades quoque funeri obuius intellexit eum viuere qui efferebatur.

APHOR. XX.

Ὁκόσοισι νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ὑγραί εἰσι, τουτέοισιν ἀπογηρασκουσιν ξηραίνονται· ὁκόσοισι δὲ νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ξηραί εἰσι, τουτέοισι πρεσβυτέροισι γινομένοισιν ὑγραίνονται.

Quibus iuuenibus fluit aluus,in ſenectute aſtringitur:uerùm quibus in adoleſcentia aſtricta eſt,fluit in ſenectute.

Hoc Aphoriſmo perſequitur duo vitia ventris inferioris, aſtrictiones & reſolutiones quibus iuuenes quandoque patent.neque debent vllum terrorē incutere: ſiquidem in ſenectute deſinunt,& abducitur corpus ab eo ſtatu qui negotium exhibet. Porro eſt dilucidum iuuenes eſſe obnoxios morbis acutis,

ſenes verò diutina corporis incommoda conficiunt. namque ætatis varietas morbos mutat.

APHOR. XXI.

Λιμὸν θώρηξις λύει.

Vinum potum ſoluit inediam.

Hoc Aphoriſmo illuſtrat ieiunia immoderata quæ vires ſine modo infirmāt,& nocent materia deficiēte:his vtique vinum ſuccurrit.nam robur auget, facilè delegatur in totū corpus,maturè nutrit,atque recreat appetentiam.

APHOR. XXII.

Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γίνηται, κένωσις ἰῆται· καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος πλησμονὴ, καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις.

Morbi ex plenitudine tolluntur inanitionibus:uerùm plenitudo & aliorum pugna ſuccurrit inanitioni.

Hoc Aphoriſmo complectitur cauſas & remedia omnium noxarum corporis:ſiquidem concitantur ex materia ſuperuacua aut ex eius corruptione, vel ſequuntur ea quę deſunt.Porro debet exigi copia & corruptela humorum : quod verò deficit, tollitur refectione ac pugna eorum omnium quæ robur augent, leuant dolores, atque ſubueniunt viribus infirmis.

APHOR. XXIII.

Τὰ ὀξέα τῶν νουσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι.

Morbi acuti finiuntur intra dies decem & quatuor.

Hoc Aphoriſmo ſignificat morbos acutos & atrociſsimos,quos intra duas ſeptimanas neceſſarium eſt quieſcere. ſunt enim acerbiores.& concitant immodicos lapſus virium, quos nemo diutius ſuſtinet.

Cæte-

Cæterùm non eſt in pretio Galenus, quia non exiſtimat morbum eſſe acutum vbi ſuperat duas ſeptimanas: ſiquidem morbi innumerabiles diu manent, trāſeunt duos menſes, trucidántque hominem: quibus nihil acutius fieri poteſt.

APHOR. XXIIII.

Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος· ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη· αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος. θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη. αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης.

Quartus demonſtrat dies ſeptenos: octauus eſt alterius ſeptimanæ principium. Porro contemplandus eſt decimusprimus, quoniam eſt quartus alterius ſeptimanæ. Dein rurſus perſpiciatur decimusſeptimus. nam exiſtit quartus poſt decimumquartum, & ſeptimus poſt decimumprimum.

Hoc Aphoriſmo peculiariter illuſtrat dies criticos, quibus natura potentior eſt aduerſus omnia incommoda corporis: iámque licet pugnare inedia, neque aliter ægroti cruciandi ſunt. Cæterùm Hippocrates nunc tradit diem quartum denuntiare dies ſeptenos, & omnium efficaciſsimos: ſiquidem finit primum circuitum dierum criticorum, quemadmodum die ſeptimo definit prima ſeptimana. Deinde numeratur dies quintus tanquam primus, qui docet diem primumdecimum implere ſeptimi vicem, idcirco habetur potentiſsimus. Similiter nedum magna potentia tribuitur vigeſimo vt ſeptimo, ſed etiā decimoſeptimo: quoniam eadem ratione ſeptenarium numerum implet numerando poſt decimumprimum, atque vigeſimus qui comitatur decimumquartum. Cæterò Galenus turpiſsime hunc Hippocratis Aphoriſmum obſcurauit.

APHOR. XXV.

Οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες· οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ, μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες.

Quartana æstiua ferè breuis, autumnalis verò longa est, maximéque hyeme appropinquante.

Hoc Aphorismo priuatim agit de febribus biduo medio interuallatis, quas tradit fieri æstate vel autumno: nihilominus æstiua quartana sæpenumero maturè quiescit, siquidem moram non prorogant ardores æstatis qui quartanam concitauerant: quibus vtique mitigatis, protinus abducitur corpus ab eo statu quo laborat, & quiescit pernicies materiæ quæ attulit febrem biduo medio interuallatam: tamen quandoque est atrox suprapoſita pernicies, nec desistit ardore æstatis mollito. Sed quartana autumnalis, quæque potissimum hyeme appropinquãte nascitur, diu herere solet: siquidem aut nulla aut leuis fit cœlorum mutatio, algores iam opprimunt, noctes sunt longæ, manétque corpus humanum ferè in eodem habitu per totam hyemem sequentem. Quare quartana febris solet modò quiescere crescente calore, & vbi noctes diutius non opprimunt.

APHOR. XXVI.

Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γενέσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ.

Melius est febrem ex spasmo fieri, quàm ex febre spasmum.

Hoc Aphorismo declarat febres esse mitiores conuulsionibus, quoniam leuius profligant partes corporis longè validissimas. Porro salutis indicium est vbi vitium atrox in mitius transfertur: similiter omnia sunt in præcipiti, quum recrescit febris tolerabilis, contrahítque neruos exasperata omni humorum pernicie, atque ob immodicos virium lapsus. Cę-

terò

terò febris est fortuitum præsidium conuulsionum. nam euocat à tergo materiam corruptam, & liberat neruos, nisi grauius vigeat: æquè quoque tolerabilis conuulsio febrem mulcet, quoniam dimouet corpora ab eo statu quo laborant.

APHOR. XXVII.

Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν οὐ δεῖ πιστεύειν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιούτων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τι διαμένειν οὐδὲ χρονίζειν εἴωθεν.

Nulla est fiducia eorum quæ sine ratione leuantur, neque ingens metus noxarum præter rationem. Etenim ex his multa sunt infirma, nec admodum manere, nec in longum tempus protrahi solent.

PRINCIPIO huius Aphorismi significat morbos leues sine ratione, quoniam eorum testimonia vitiosa sunt: vt quum malo victu natura membra non dispergũtur inæqualiter, aut veternus opprimit, aut mentis alienatio hebetat sensum doloris: siquidẽ hoc iuuamentum terrorem incutit. æquè quoque tẽpore crisis plerumque ægroti acerbius cõflictantur, quorum nihilominus testimonia ostendunt omnem securitatem. Illud ergo præter rationem cadit in bona & mala indicia morborum.

APHOR. XXVIII.

Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως τὸ διαμένειν καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα, ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, μοχθηρόν. τὸ μὲν γὰρ μῆκος νούσου σημαίνει, τὸ δὲ ἀσθένειαν.

Non omnino leuiter febricitantium corpus remanere, & nullo modo succumbere, vel etiam tabescere plus quam ratio postulat, vitiosum est. Illud enim longum morbum, hoc verò langorem docet.

HOC Aphorismo perpurgat intermediam quandam febrem inter acutas & leues. porro febres acutæ nos vehementer cruciant, verùm leues sunt molliores: sed febres non omnino leues, nec omnino acutæ

obtinent mediam quandam vim inter ſuprapoſitas, de quibus nunc Hippocrates diſſerit. Vbi verò corpus febricitantium hæret, nec ſuccumbit huic generi febrium, demonſtrat noxas diutinas. nam vires corporis ſunt vegetiores, neque proſternuntur ex impetu febrium. Deinde febris neque omnino leuis eſt, neque maturè quieſcit. ſimiliter vbi hoc febrium genus eſt, protinus conſumit hominem, adfert immodicos lapſus virium, hebetat corporis refectionem, neque eſt ſine metu: quæ verò Galenus comminiſcitur de tabe his literis, ſunt vana ac irrita, quum tabes omnis concitetur corpore non accipiente ſuam refectionem vt æquum eſt.

APHOR. XXIX.

Ἀρχομένων τῶν νούσων ἤν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει· ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστιν.

Morbis incipientibus ſiquid mouendum uidetur, moue: uigentibus autem, quieſcere melius eſt.

Hoc Aphoriſmo complectitur medicationes, frictiones, geſtationes, omnes fatigationes & cruciatus quibus medici plerumque vexant ęgrotos. Id vtique fit tolerabilius per initia, quum vires præſtant, & morbi nocent onere humorum: ſin autem vitium eſt atrox ac viget, iā officit nimia infirmitas, & viribus licet conſulere.

APHOR. XXX.

Περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα· περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς ἰσχυρότερα.

Circa principium ac finem cuncta ſunt languidiora: uerùm circa uigorem grauiora naſcuntur.

Hoc loco metitur initia morborum ac eorū deceſsiones ex noxis leuioribus quæ minus negotium faceſſunt: æquè quoque conſiſtit vel augetur morbus omnis, vbi cuncta incommoda recreſcunt.

APHOR.

APHOR. XXXI.

Τῷ ἐξ ἀῤῥωστίης ἐσθίοντι ἢ μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, μοχθηρόν.

Malum est ex morbo facilè cibis indulgentibus corpora nullo modo proficere.

HIC Aphorismus est peculiaris reualescentibus ex sinistra valetudine, qui cibum capiunt, nihilominus manet inutilis, neque firmat neque reficit corpora. Idcirco degenerat in pestiferas cruditates, aut vitiatur in bilem & pituitam.

APHOR. XXXII.

Ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ' ἀρχὰς μὲν εὐσιτέοντες καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσιν· οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, ὕστερον δὲ εὐσιτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν.

Persæpe omnes malè affecti, qui per initia cibis facilè indulgent, nec ullo modo proficiunt, sub finem rursus fastidiunt cibos: sed qui per initia cibos uehementer respuunt, quibus deinceps facilè indulgent, melius liberantur.

NVNC persequitur duo genera ægrotantium, ex quibus nonnulli cibum initio facilè capiunt, nihilominus neque iuuat, neque robur auget, neque reficit hominem. Idcirco se vertit in crudam & corruptam materiam, quæ miscetur causæ morbi, & omnia incommoda exasperat. Iure ergo deinceps cibos respuunt. Alii in morbo recenti cibos ex toto fastidiũt, tamen circa declinatum cibum capiũt tolerabiliter, ac tutius sanantur.

APHOR. XXXIII.

ΕΝ πάσῃ νόσῳ τὸ ἐῤῥῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθόν· τὸ δὲ ἐναντίον, κακόν.

Per omnem morbum mentem bene ualere, & obiecta ferre tolerabiliter, bonum est: sed contrarium numeratur in malis.

Hoc Aphorismo persequitur bona testimonia ægrotantium, quoniam mente constant, & res sensibus obiectas facilè ferunt. hæc vtique denuntiant omnes sensus cùm internos tū externos esse integros, nec profligari ex morborum impetu.

Aphor. XXXIIII.

Ἐν τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ᾖ μᾶλλον· ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τουτέων.

Per morbos minus periclitantur quibus uitium est magis familiare natura, ætate, tempore, habitu, quàm si nulla ex his foret familiaritas.

Nunc metitur morbos tolerabiles ex familiaritate quam habent cum ægrotis. neque enim facile est inuestigare hominem qui non sentiat aliquam imbecillitatem corporis, siue naturale illi sit, & migrauerit ex suis parentibus, siue ætas vires infirmauerit, siue anni tēpus & morbus in vulgus sęuiat: siue id creet habitus corporis tenuis, plenus: nisi vitium accedat ea anni parte quæ sit mortis index.

Aphor. XXXV.

Ἐν πάσῃσι τῇσι νούσοισι τὸ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον πάχος ἔχειν βέλτιόν ἐστι· τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετηκὸς, μοχθηρόν. Ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας.

Per omnes morbos cutis circa pubem ac umbilicum plana melior est: quæ quum uehementer extenuatur & emacrescit, nascitur vitiosum. Id etiam periculosum est purgationibus partium inferiorum.

Hoc Aphorismo declarat tutum finem morborum æstimari ex interaneis potentissimis, extisque firmissimis, quæ demonstrantur cute plana & corpulēta circa pubem ac vmbilicum: languescūt autem vbi extenuatur & consumitur marcore. neque tutū est exhibere cathartica prostratis interaneis.

APHOR. XXXVI.

Οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι, ἐκλύονται ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι.

Instructi ſano corpore qui purgantur pharmacis, ſubinde langueſcant, & qui utuntur cibo uitioſo.

NVNC tradit cibum vitioſum & pernicioſa pharmaca æſtimari ex præcipiti virium lapſu, quem excitant ſanis hominibus, quia abducunt potentiſsimum corporis habitum, eúmque mouent ex ſuo vegetiore ſtatu: deinde vitiantur intus in bilem & pituitam corruptóſque humores, qui vires infirmant.

APHOR. XXXVII.

Οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες.

Firma corpora difficiliter medicantur.

HIS literis interdicit medicationibus, vbi adeſt vegetior corporis habitus. his enim adhibitis deſciſcit in deteriorem, neque ſubſiſtit in ſuo firmo ſtatu.

APHOR. XXXVIII.

Τὸ σμικρῷ χεῖρον καὶ πόμα καὶ σιτίον, ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν, ἀηδεστέρων δὲ, μᾶλλον αἱρετέον.

Eſca & potio paulo deterior, tamen iucundior, magis legi debet melioribus plus inuiſis.

HOC Aphoriſmo autor eſt Hippocrates ægrotos non eſſe ſolicitandos cibis inuiſis, quanuis ſint perutiles. Nam periculum eſt ne ex inſueto eſu animo laborent, qui vtique ſecurus iugiter ſeruandus eſt.

APHOR. XXXIX.

Οἱ πρεσβῦται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον· ὅσα δ' ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γίνηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Senes utplurimum minus ægrotant iuuenibus: nihilominus ſæpe commoriuntur morbis diutinis in quos incurrunt.

Nvnc tradit adoleſcentes eſſe magis obnoxios morbis acutis, quoniam finis properat: ſenes autem corripiuntur longis malis, quibus ſæpe intereunt, effuſo virium robore.

APHOR. XL.

Βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται.

Raucedines & grauedines ualde ſenibus non maturantur.

His literis appellat valde ſenes decrepitos, quibus non maturãtur noxæ extremarum corporis partium, quia vix firmantur langueſcentibus internis, totóque corpore debilitato. Ideóque raucedines & grauedines, vitia extremitatũ corporis, quæque eius cacumina occupant, vix ſanantur in ætate ſenili admodum.

APHOR. XLI.

Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς προφάσιος, ἐξαπίνης τελευτῶσι.

Qui ſæpe diſſoluuntur ac uehementer ſine cauſa manifeſta, maturè decedunt.

Hic Aphoriſmus differit de frequenti & grauiſſima corporis diſſolutione vel imbecillitate, donec anima deficiat ſine cauſa externa & euidenti. neque enim cruor fuſus, neque ictus, neque cathartica, neque venena vires diſſoluunt: verùm intus ſubeſt atrox corruptela humorum qui vires hebetãt, ſenſum tollunt, creant morbum ſonticum, & maturum interitum adferunt.

APHOR. XLII.

Λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν ἀδύνατον· ἀσθενέα δὲ, οὐ ῥηΐδιον.

Soiui non poteſt uehemens neruorum reſolutio, nec facilè tollitur mediocris.

Hic

Hic Aphoriſmus peculiariter cadit in neruorum reſolutiones, quæ quidem vehementer vrgent vbi membrum reſolutum neque mouetur, neque corpulentum eſt, ſed conſumitur macie: minus etiam finitur, quo vetuſtius vitium eſt, & quo magis in corpore ſenili: verùm mediocris neruorum reſolutio motum duntaxat hebetat, neque radicitus eripit, neque maciē adfert. Cęterùm habeantur ludibrio qui hunc Aphoriſmū tribuunt ex morbo attonitis, quos Hippocrates paraplecticos, & plerique recentiores apoplecticos nominant, & pr muntur graui ſtupore mē tis & corporis. Porro Celſus tradidit, priſcis apoplexiam fuiſſe verbum proprium reſolutis neruis, & paralyſi laborantibus. quúmque omnes attoniti corripiantur atrociſsimis noxis, nec vllum eorum vitium ſit mediocre, ſole clarius eſt nunc Hippocratem agere de neruorū reſolutionibus, velut prodidit Celſus.

APHOR. XLIII.

Τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων, οὐκ ἀναφέρουσιν οἷσιν ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ σόμα.

Quibus ora ſpumantia ſunt, non redeunt ad uitam ſi ſtrangulantur diſſoluuntúrque, nec ſunt mortui.

Hic Aphoriſmus eſt proprius ſpumantibus oribus, quibus neque ſaliua ſorbetur neque retinetur, ſed fluit rigátque linguam, dentes & labra, neque ſpes ſalutis vlla ſupereſt, quia ſuffocantur ægroti aut faucibus laborantibus, aut pulmone dolente & præcluſis eius ſpiraculis: qui ſimul etiam diſſoluuntur, febricitant, & laborant immodico virium lapſu.

APHOR. XLIIII.

Οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν.

Vehementer obeſi ſecundum naturam maturius intereunt quàm graciles.

Hoc Aphorismo Hippocrates persequitur duplicem corporis habitum. Nam corpus valde obesum fit hebes,& repræsentat laxas & hebetes carnes, quæ toto corpore luxuriant,repræsentántque protinus vitiosas ac hebetes carnes, quæ in vlceribus plerumque crescunt vltra modum. Corpus autem gracile est vtique viribus infirmis, constat carnibus macris,quæ tamen densescunt, neque sunt laxæ, sed firmæ,& potentius sustinent omnia incommoda. Porro sagina onerat corpus valde plenum,intendit viriũ langorem, crescítque maximè per somnum coquentibus,& augetur corpulentia, vt peruigilium gignit corporis firmitatem. Ideóque mos est athletas vigilando cibos percoquere,velut autor est Plinius.

APHOR. XLV.

Τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης,καὶ τῶν τόπων,καὶ τῶν βίων ποιέουσι.

Mutationes potissimum ætatis,temporum,locorum,& uitæ in adolescentia comitiales liberant.

Hoc Aphorismo declarat comitiales iuniores facilè sanari, quoniam ætate procedente inualescunt, firmatur cerebrum, & fatiscunt plenius eius emissaria. Deinde cœlum vmbrosum, nubilum,pluuium, graue,comitialibus inimicatur,iuuátque,si migrauerit in serenos dies & sine aquis.Similiter vbi mutatur locus riguus ac palustris, subinde leuatur morbus fonticus. Postremò comitialibus succurrunt exercitationes, ac vbi neque desides, neque inertes asiduè remollescunt domi : eodem planè modo quiescunt victu mutato. hæc enim omnia abducunt corpus ab eo statu in quo est.

APHOR. XLVI.

Δύο πόνων ἅμα γινομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον,ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον.

Ex duobus doloribus qui non fatigant eundem locum, uehementior alterum obscurat.

His literis docet grauiores cruciatus obscurare mitissimos: siquidem mens acerbissimis addicta non intuetur dolores leuiores.

APHOR. XLVII.

Περὶ τὰς γενέσιας τοῦ πύου οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ συμβαίνουσι μᾶλλον ἢ γενομένου.

Quum pus oritur, dolores febrésque magis incidunt quàm orso pure.

Hoc Aphorismo complectitur testimonia suppurationum quas persæpe vix deprehendimus. nam aut pus crassum assimilat vomicam duris & scirrhosis tumoribus: vel intus conditur suppuratio, quæ tamen pluribus morbis solet concitari. Iam autor est Hippocrates suppurationum auguria æstimari ex febribus & doloribus quos exasperant: leuantur autem finita suppuratione, quoniam mitigantur noxæ omnes. Neque est subscribendũ Galeno. tradit enim pulsus venarum mouere collectiones dolentis: quæ quum sint naturales, nullum creant dolorem, sed oritur ex labe humorum qui ferè feruent, percutiunt quod sanum est, nec sentiuntur gestabiles.

APHOR. XLVIII.

Ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος, ὁκόταν ἄρχηται πονέειν, τὸ διαναπαύειν εὐθὺς, ἄκοπον.

Vbi fatigatio cœperit per omnes corporis motus, quies protinus succurrit lassitudini.

Hic Aphorismus est peculiaris gestationibus, ambulationibus, equitationibus, frictionibus, ac diuersis motionibus corporis, quibus medici sæpe vexant ægrotos, donec ex his plerique fungantur tortoris officio. Cæterùm licet nonnunquam subscribere

luxurię ægrotantium, atque interquiescendum est, ne vehemens ac insueta motio conuellat hominem.

APHOR. XLIX.

ΟΙ εἰθισμένοι τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνήθων ἰσχυρῶν τε καὶ νέων ῥᾷον φέρουσι.

Assueti laboribus, quanuis sint debiles ac senes, facilius sustinent iuuenibus robustis & insuetis.

NVNC declarat, labores & exercitationes quibus ægroti sibi consulunt, æstimari ex longa consuetudine, quę vires firmat, cũcta reddit tolerabilia, discutítque noxas otiorum.

APHOR. L.

ΤΑ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, κἂν ᾖ χείρω τῶν ἀσυνήθων, ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε. δεῖ οὖν καὶ ἐς τα ἀσυνήθεα μεταβάλλειν.

Quanuis assueta longo tempore sint deteriora insuetis, tamen minus uexare solent. ergo oportet ad insueta migrare.

Hoc Aphorismo autor est Hippocrates cuncta assueta nos minus fatigare rebus insuetis: quæ quum necessariæ sunt, timidius adhibeantur, siue sit opus otio, siue labore, siue densa esca, aut vino, aut plerisque aliis rebus quarum vrget necessitas.

APHOR. XLI.

ΤΟ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁκωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν, σφαλερόν. καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον· τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές· καὶ ἄλλως ἢν καὶ τις ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μεταβαίνῃ.

Periculosum est, multum & subinde exinaniri, aut impleri, aut calefacere, aut refrigerare, aut quoquo modo corpus mouere. etenim quicquid est uehemens, naturæ inimicatur: exigua uerò secura existũt: potissimum ubi quis ex altero ad alterum migrat.

Nunc declarat, paulatim esse assuescendas omnes corporum mutationes, siue sint implenda cibo liberaliore, siue exhaurienda insueto ieiunio: siue sit opus sudationibus, siue frigida profundi debeat: siquidem modus rerum omniũ est in deliciis cuique.

APHOR. LII.

ΠΆντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.

Nisi cuncta facientibus iuxta rationem oriuntur ut æquum est, nõ licet aliò transire, manente eo quod per initia uisum est.

Hoc Aphorismo comprehendit remedia ægrotantium quæ adhibentur iuxta causam morbi, necnon vt ratio postulat, quamuis irrita & sine auxilio sint, & appareant nullo modo mederi: nihilominus haud mutari debent. etenim difficiles noxæ sæpe prorogant moram, nec eorum finis properat.

APHOR. LIII.

ΟΚόσοι τὰς κοιλίας ὑγρὰς ἔχουσι νέοι μὲν ὄντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσι τῶν τὰς ξηρὰς ἐχόντων· ἐς δὲ τὸ γῆρας χεῖρον ἀπαλλάσσουσι. ξηραίνονται γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῖσιν ἀπογηράσκουσι.

Vbi aluus fusa est in iuuentute, melius liberantur quàm si sit astricta: uerùm in senectute seruantur deterius. namque senibus sæpe contrahitur aluus.

Hoc Aphorismo tradit ventris profluuia tutius iuuare adolescentes firmæ ætatis, vbi in atrox vitium inciderunt: quæ tamen exasperant langorem senectutis neque enim tuto liquatur venter in ætate decrepita.

APHOR. LIIII.

ΜΕγέθει δὲ σώματος ἐννεάσαι μὲν, ἐλευθέριον, καὶ οὐκ ἀειδές· ἐγγηράσαι δὲ, δύσχρηστον καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων.

Longa ſtatura corporis eſt ingenua, nec dedecorat iuuenes: uerùm ſenibus manet inutilis, & gignitur deterior breuitate.

Hoc loco Hippocrates ſignificat celebrari corpus quadratum vt habiliſsimum & aptum per omnem ætatem: ſiquidem longa ſtatura decorat modò iuuenes, & conficitur ſenectute, quoniam requirit firmã ætatem: æquè quoque breuitas corporis dedecorat adoleſcentes vt pomiliones.

CLAVDII CAMPENSII MEDICI IN TERTIAM SECTIONEM Aphoriſmorum Hippocratis Annotationes.

APHOR. I.

Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος· καὶ τἄλλα κατὰ λόγον οὕτως.

Mutationes temporum morbos potiſsimum creant, & per tempora inſignis caloris aut frigoris mutatio: ſic etiam reliquorum ducta ratione.

HIC Aphoriſmus generatim perſequitur cauſas morborum popularium feré: ſiquidem concitantur ſtatu temporum commutato, quoniam dimouet corpora ex ſuo habitu. ideóque contrarius cœlorum ſtatus morbos populares creat, quum nedum dies præſentes ſequi appareant, ſed eos qui præceſſerunt. nam æſtimatur auſter noxius, quia ſequitur aërẽ qui diutius ventis ſeptẽtrionalibus erat expoſitus. eius enim mutatio eſt intolerabilis, neque ſanitatem tuetur. Pari iure cœlum vmbroſum, nubilum, pluuium mouet graues noxas ſimulatque ſerenitas redditur. Ardor autem æſtatis facilè viſcera inflammat. iecur & lienẽ, vires hebetat, mouétque noxas æſtati peculiares. æquè quoque frigus atrox inimicatur ſeni, tenui: ad-

fert ſpaſmum,horrorem,nigritiem vlcerũ, creátque incommoda corporis quæ peculiariter hyeme ſentiuntur,donec morbi populares exoriantur ducta ratione temporum quibus emergunt. alios enim mouet æſtas,alios hyems:nonnullos aquilo, auſter alterius generis morbos adfert.Cæterò tẽporum viciſsitudines cuncta variant,neque eadẽ manent quæ cœlis continentur. Ita ſani facilè morbis patent,accedente cœlorũ mutatione, quibus quaſi verbere quodam flagellantur inferiora.

Aphor. II.

Τῶν φύσιων αἱ μὲν πρὸς θέρος, αἱ δὲ πρὸς χειμῶνα εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι.

Ex naturis quædam per æſtatẽm , alia per hyemem firmæ aut vitioſæ exiſtunt.

Hoc Aphoriſmo notat vires cuique donatas à natura.nonnullis enim inualeſcunt hyeme frigida, quibuſdã ſunt languidæ,aliis æſtate firmãtur. Neque dubium eſt vires humanas ſentire protinus iniurias horridorum ſiderum,& noxas eorum quæ ambiunt. Naturæ autem verbum proprium eſt rebus quæ ſponte neque vlla arte conſtant. Quum autem qualitates contrariæ moliantur ſibi inuicem mutuos interitus, nec earum ſocietas ea ſit quam requirunt corporum miſturæ, reſpui debent temperamenta quæ Galenus comminiſcitur.

Aphor. III.

Τῶν νούσων ἄλλαι πρὸς ἄλλα εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι, καὶ ἡλικίαι τινὲς πρὸς ὥρας. καὶ χώρας, καὶ διαίτας.

Ex morbis nonnulli præ cæteris in bonis aut in malis ſunt:itémque nonnunquam ætates per tempora,regiones,& uictus.

Hoc loco videtur æſtimare pericula morborum eorúmque ſecuritatem ex temporibus, regionibus, & victu,eodem planè modo atque ætates hominum emer-

emergunt firmæ aut languidæ. siquidem in bono tẽpestatum habitu tutißima sunt omnia. Adhæc regio grauis, palustris & rigua mouet diuersa corporis incommoda, neque alit homines vegetißimos. postremò ignauia corpus hebetat, maturam senectutẽ reddit: cibo quoque ac potu quisque inualescit, aut morbis patet.

APHOR. IIII.

ΕΝ τῇσιν ὥρῃσιν ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρης ὁτὲ μὲν θάλπος, ὁτὲ δὲ ψῦχος γίγνηται, φθινοπωρινὰ τὰ νοσήματα προσδέχεσθαι χρή.

Ex tempestatibus ubi eodem die nunc calor, mox frigus opprimit, sunt expectandi morbi autumnales.

Hoc Aphorismo Hippocrates perpurgat annũ liberũ omnibus morborũ periculis præterquã autũno: siquidẽ ex vniuersis tempestatibus tutißimę sunt æquales sine vehementiori calore aut frigore: pesimæ, quæ modũ superãt. Qúmque frigus & calor maturè desinunt, nec moram prorogant, sed quiescunt eodẽ die, hærent sine vlla noxa, vel eorum incõmoda protinus finiuntur, atque repræsentant tempestates ęquales. Nihilominus autumnus terrorem incutit aßiduè. nam quemadmodum per id tempus terra nullos fœtus educit, cuncta labant, planè emoriuntur, nec viuiscũt, fitque totius vniuersi insignis mutatio. AEquè quoque corpora dimouentur protinus ex suo firmo statu, & facilè experiuntur aliquod periculum.

APHOR. V.

ΝΌτοι βαρυήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοί, νωθροί, διαλυτικοί· ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀρρωστίῃσι πάσχουσιν· ἢν δὲ βόρειον ᾖ, βῆχες, φάρυγγες, κοιλίαι σκληραί, δυσουρίαι, φρικώδεες, ὀδύναι πλευρέων, στηθέων. ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀρρωστίῃσι προσδέχεσθαι χρή.

Auster aures hebetat, est caliginosus, mouet capitis grauitatem, corpus efficit hebes, languidum: qui quum inualescit, per morbos talia sustinent: sin autem uenti exoriuntur septentrionales, tussim creant, fauces exasperant, uentrem astringunt, urinam supprimunt, horrorē concitant, cruciant pectus & latera: qui quum emergunt potentiores, talia per morbos licet expectare.

Hoc Aphorismo perpurgat duplicem ventum, austrum & aquilonem. etenim cæteri venti qui huic vel illi propiores sunt, eo magis vicinos vtrique affectus faciunt. Porro auster subsolanus & qui prorūpit à mari, ferè grauis est, aures obtūdit, offundit per aëra caliginem, reddit cœlum nubilum ac pluuiū: quæ quidem sensus tardant, & corpora onerant materia inutili, ex qua hebescunt, ceu segnitie premuntur, & languent. Verùm aquilo subit penitissimos corporis canales, suo algore negotium pulmonibus exhibet, mouet rheumatismum capitis, cruciat præcordia, latera malè habet, moratur vrinam & aluum, exhaustis liquoribus, quæ vtrunque ducunt: necnon protinus discruciat intestina.

APHOR. VI.

Ὁκόταν θέρος γίγνηται ἦρι ὅμοιον, ἱδρῶτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι πολλοὺς προσδέχεσθαι χρή.

Quum æstas ueri assimilatur, in febribus sunt expectandi copiosi sudores.

Hoc loco notat æstus ignauos æstatis, quibus corpora immodico sudore digeruntur, cùm ex labore cui indulgent, tum ex impetu febrium: siquidem laxant vniuersum corporis habitum, repræsentant vaporaria, aut tepidaria, vel vliginosum aliquem teporem. Hoc vtique cœlorum vitium attulit quandoque Britannis sudores mortiferos.

APHOR. VII.

Ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι πυρετοὶ ὀξέες γίνονται· καὶ ἢν μὲν ἐπὶ πλέον ἦ τὸ

ἢ τὸ ἔτος τοιοῦτον ἐὸν, οἷον τὴν κατάστασιν ἐποίησεν, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ τὰ νουσήματα τοιαῦτα δεῖ προσδέχεσθαι.

In ſiccitatibus emergunt febres acutæ: quùmque copioſior eſt talis annua tempeſtas, quem ſtatum excitauerit, perſæpe expectantur morbi eius generis.

PRINCIPIO huius loci declarat nocere ſiccitatem immoderatam, quoniam fermè ſufficit acres fel leóſque humores, & ocyſsimè creat vegetiſsimũ corporis habitum, qui ſubinde tanquã ruina quadam retró reuoluitur, atque degenerat in graues noxas: ſin autem cœlo diutius ſitiẽte perflant venti ſeptentrionales, adferunt ſua propria incommoda.

APHOR. VIII.

ΕΝ τοῖσι καθεστῶσι καιροῖσιν ἢν ὡραίως τὰ ὡραῖα ἀποδιδῶσιν, εὐσταθέες καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι γίνονται· ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν, ἀκατάστατοι καὶ δύσκριτοι.

Quum certo tempore tempeſtiua tempeſtiuè aſsignantur, morbi naſcuntur firmi & faciles ad iudicandum: uerùm tempore incerto emergunt incerti ac difficiles ad iudicandum.

HOC Aphoriſmo metitur tutiſsimum finem morborum ex certo ac ſereno tempeſtatum habitu: æquè quoque incertus eorum finis ęſtimandus eſt, quia exoriuntur cœlo incerto & grauiſsimo. Cæterò his literis ſe accommodat ad vulgarem loquendi vſum. etenim aiunt omnes, dies nubilos, nebuloſos, vmbroſos aut pluuios, incertos: ſimiliter dies ſereni & clemẽtes perhibentur quieti ac certi, quibus cuncta recreantur & inualeſcunt.

APHOR. IX.

ΕΝ φθινοπώρῳ ὀξύταται αἱ νοῦσοι, καὶ θανατωδέσταται τὸ ἐπίπαν· ἦρ δὲ ὑγιεινότατον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες.

Per autumnum oriuntur ex toto morbi acutiſsimi & ualde mortales: uer autem fit ſaluberrimum, miniméque mortale.

PRINCIPIO huius Aphoriſmi declarat autũni perniciem ęſtimandam eſſe ex morbis acutiſsimis & mortiferis, quos creat. ſiquidem per id tempus fit inſignis totius vniuerſi mutatio, terra nullos edit fœtus, cuncta marcent. Neque dubium eſt eodem planè modo corpora dimoueri ex ſuo priſtino ſtatu, quaſi mutata vniuerſitas ea transferret in alium habitum, niſi remanſerit præſtantiſsimum virium robur, poſsítque ſuſtinere inſignes cœlorũ mutationes abſque vlla noxa. Ideóque autumnus diutinis malis fatigatos, & ab æſtate tantùm proxima oppreſſos interimit, & quoſdam longiſsimis implicat, maximéque quartanis, quæ per hyemem quoque exerceant. Neque aliud tempus magis patet peſtilentiæ, cuiuſcunque ſit generis. Cæterùm ver corpora firmat, diſcutit inutilem materiã, quæ ex hyeme ſupereſt, cuncta nouat, nec ſuapte vi eſt noxium, niſi quĩdpiã humoris motu nouetur.

APHOR. X.

ΤΟ φθινόπωρον τοῖς φθίνουσι κακόν.

Autumnus eſt noxius tabidis.

CERTVM eſt tabem ſequi immodicos virium lapſus, donec haud ſufficiant cibum ad alendum neceſſarium. ideóque nõ ſuſtinent longè pernicioſiſsimos impetus autumnales, nec cœlorũ mutationes ſubitas.

APHOR. XI.

ΠΕρὶ δὲ τῶν ὡρέων ἢν μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τοῦ θέρεος πυρετοὺς ὀξέας, καὶ ὀφθαλμίας, καὶ δυσεντερείας γίνεσθαι, μάλιστα δὲ τῇσι γυναιξὶ, καὶ αἰδέρσι τοῖσιν ὑγροῖσι τὰς φύσιας.

Si ex temporibus hyems ſicca habet uentos ſeptentrionales, uer autem auſtros & pluuias exhibet, neceſſariò æſtate ſubeunt acutæ febres, lippitudines ac dyſenteriæ, maximéque mulieribus uiriſque naturæ mollioris.

HOC Aphoriſmo perſequitur morbos populares, qui ſæpe per æſtatem nos inuadunt. Porro nedũ æſtimantur

mãtur ex diebus præſentibus,ſed etiã ex his qui antè præceſſerunt,facta per vtrũque tẽpus cœlorum mutatione. Ideóque hyems ſicca ſine aquis,expoſita vẽtis ſeptẽtrionalibus,quíque degenerãt tẽpore veris in pluuioſos imbres ac auſtrũ,teſtatur inſignes cœlorũ mutationes oriri. Ita ex cõtrario cœlorũ præcedẽtiũ ſtatu tẽpore æſtiuo corpora abducuntur à priſtino habitu,quẽ induxerãt venti fermè indices afflatus ſiderum ad terrã decidui: atque ex ſubitis mutationibus exoriuntur noxæ æſtati peculiares,febres acutæ,lippitudines,tormina,& fluor ventris periculoſus.ſiquidẽ æſtas ferè violẽto ſole torretur, inflãmat viſcera, iecur ac lienem,proſternit inferiorẽ aluum, ſimúlque reſoluit. Cæterò dixit cõmemorata incõmoda potiſſimum exercere mulieres & inertes omnes qui iugiter ferè domi remolleſcunt.nã prõptiſsimè fatigãtur ex aquilone & auſtro, ac ſentiunt vires langueſcere, nec ſuſtinent præcipites neque inopinatas cœlorum mutationes, quibus verbere quodã fermè flagellantur inferiora. Nihilominus anno 1564 atrox peſtilentia occupauit Galliã Lugdunenſem: etiãſi hyems ſimúlque ver præceſsiſſent pluuioſa, vmbroſa & auſtro perflata,donec accederet æſtas torrida, ac tẽpore caniculę eteſiæ perflarent,ceu aquilones,qui molliũt ęſtus ſolis geminatos ſiderũ ardore. ſiquidẽ ęſtas eteſiis & aquiloni expoſita dimouebat corpora ex priſtino habitu,quẽ auſter pluuiæque ingenerauerãt: deinde ſequebatur vt plurimũ vegetior habitus corporis,qui maturè decidebat in grauiſsimas febres tertianas,ſemitertianas,cõtinuas,cũ bubonibus ac tetra papularũ eruptione. Similiter anno 1557 hyems habuit auſtrũ aſsiduũ,cùm erat pluuia, tũ nubila,quatenus vernũ ęquinoctiũ emergeret: deinde toto vere in poſterũ cœlũ manſit ſine aquis,& perflarunt aquilones: verùm per æſtatem ortæ ſunt febres acutæ, & morbus Gallis appellatus *La coqueluche*.

APHOR. XII.

Ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος καὶ εὔδιος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες ἧσιν οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἦρ, ἐκ πάσης προφάσιος ἐκτιτρώσκουσιν· αἳ δ' ἂν τέκωσι, ἀκρατέα καὶ νοσώδεα τὰ παιδία τίκτουσιν. ὥστε ἢ παραυτίκα ἀπόλλυσθαι, ἢ λεπτὰ καὶ νοσώδεα ζῆν ἐόντα· τοῖσι δὲ ἄλλοισι δυσεντερίαι, καὶ ὀφθαλμίαι ξηραὶ γίνονται. τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι κατάρροοι συντόμως ἀπολλεῦντες.

Si austri pluuiæque hyemem occupauerunt, & serena sit, uer autē siccum & aquiloni expositum, grauidæ fœminæ, quibus uere partus adest ex omnibus causis abortu periclitantur: quæ uerò enituntur, imbecilles morbisque opportunos fœtus edunt. Quare maturam mortem öbeunt uel tenues ac morbosi sunt in uiuis: cæteros lippitudines aridæ ac dysenteriæ malè habent: uerùm seniores subitis destillationibus appetunt.

NVNC illustrat morbos populares qui vere nascuntur ex antegressa hyeme austro perflata, pluuia, nebulosa, mistis serenitatibus, quæ nec acerbiori frigore, nec algidissimis niuibus fatigatur. nam insequens contrarius cœlorum status viris mouet corpora ab eo statu in quo sunt, neque sustinent præcipites cœlorum mutationes absque noxa. Iure ergo prægnantes ex enixu vexantur protinus, nec facilè ferre possunt rosiones quas mouet enixus, simúlque traditas mutationes aëris & periculosas: atque educunt fœtus languęscentes ex laborioso partu, aut sentiunt abortus pericula. Neque dubium est morbos populares protinus exercere grauidas ob enixus, quia semper sunt dolori mulieribus. Verùm cæteris ætatibus accedunt lippitudines aridæ sine fluore lacrymarum, & absque pręstantiori oculorum tumore, siue quæ sint leuiores, & quas mouet acris distillatio pituitæ salsæ capitis. sed dysenteriæ comitantur fermè impetus febrium periculosos, quibus venter liquidus torquetur ex acri humorum labe. Porro

seniores

seniores infirmæ ac frigidæ ętatis protinus iugulant graues capitis destillationes, quas mouet aquilo ob antegressam hyemem vmbrosam, pluuiam & austro expositam. Nihilominus auster vbi vere comitatur hyemem aquiloniam, manet innoxius feré: siquidem mitius abducit corpora ab eo statu in quo sunt, & apparet mitificare impetus aquilonios, quibus sæpe homines sentiunt vegetissimum corporis habitum, de quo disseruimus tertio Aphorismo primæ sectionis.

APHOR. XIII.

Ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν καὶ βόρειον γένηται, τὸ δὲ φθινόπωρον ἔπομβρον καὶ νότιον, κεφαλαλγίαι ἰσχυραὶ ἐς τὸν χειμῶνα γίνονται, καὶ βῆχες, καὶ βράγχοι, καὶ κόρυζαι, ἐνίοισι δὲ καὶ φθίσιες.

Si est sicca æstas, & aquilones habet, autumno uerò imbres austrique sunt, hyeme proxima gignitur dolor capitis, tussis, raucitas, & grauedo quibusdam etiam tabes.

NVNC perhibet incommoda hyemis, quæ quidē emergunt ex æstate aquilonia & sine aquis, simúlque ex autumno pluuioso, nubilo, & exposito australibus ventis, qui vtique denuntiant afflatus quosdam, & siderum verbera humi ruere, & nocere in posterum locis inferioribus. Idcirco subsequens contrarius cœlorum status hyemis dimouet corpora ab eo statu in quo sunt, & quisque experitur noxas hyemi peculiares.

APHOR. XIIII.

Ἢν δὲ βόρειον ᾖ καὶ ἄνυδρον, τοῖσι μὲν ὑγροῖσιν ἐοῦσι τὰς φύσιας, καὶ τῇσι γυναιξὶ ξύμφορον· τοῖσι δὲ λοιποῖσιν ὀφθαλμίαι ἔσονται ξηραί, καὶ πυρετοὶ ὀξέες, καὶ κόρυζαι· ἐνίοισι δὲ καὶ μελαγχολίαι.

Si autumnus siccus æquè ac æstas iisdem aquilonibus perflatur, iuuat mollem tenerámue naturam, ac mulieris: cæteris aridæ lippitudines instant, febres acutæ, ac diutinæ grauedines: nonnullis autem ex atra bile uitia.

Hoc Aphoriſmo comprehendit morbos populares, quos creat autumnus vbi æquè ac æſtas habet ventos ſeptentrionales aſsiduos, manétque ſine aquis. ſiquidem per autumnum fit iugiter præſtantiſsima cœlorum mutatio, noctes diutius hærent, frigora nocturna creſcunt, cuncta fermè labant, vniuerſitas apparet ex toto periiſſe, ex terra viueſcentia ferè emoriuntur, nec facile eſt per id tempus ferre noxas autumnales, niſi quis ignauiæ ſtudeat, & aſsiduè remolleſcat domi. Namque duriores omnes & qui laboribus indulgent protinus firmat aquilo, citat vegetiſsimum corporis habitum, qui adhibita exercitatione facilè degenerat in vitioſum, atque experitur febres acutas, longas, vitia oculorum, graues deſtillationes, ſimúlque mentis alienationem: omnes autem molliores atque mulieres habent cuncta mitiora.

Aliud temporis incommodum.

Si æſtate ac autumno imbres auſtrique ſunt, neceſſariò hyems morbis patet, & æquum eſt pituitoſos ac ſeniores annis quadraginta opprimi febribus ardentibus: ſed bilioſos latera pulmonéſque male habent.

Hvnc Aphoriſmum exſcripſimus ex libro de locis, aquis & aëre. Cæterùm perſequitur morbos populares, quos mouet hyems ex imbribus & auſtro, quæ per æſtatē ac autumnum anteceſſerunt: notántque inferiora flagellari ſiderum verbere, neque manent tolerabiles cœlorum mutationes per hyemem proximam frigidā & oppreſſam niuibus ac gelu aſsiduo. Id enim his literis notat tempus hybernum, velut æſtas exiſtit tempus ardoribus expoſitum. Iure ergo accedens contrarius cœlorum ſtatus hyemis creat febres ardentes, maximéque pituitoſis ac ſenioribus annis quadraginta, quos pituita malè habet, multa aquoſa expuunt, & ferè laborant cruditate eſcarum: verùm bilioſi ſunt felleo ſapore, & ocyſsimè detinentur vitio laterum atque pulmonum.

APHOR.

APHOR. XV.

Τῶν δὲ καταστασίων τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβριῶν εἰσιν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες.

In uniuersum ex annuo statu siccitates sunt salubriores imbribus, minúsque mortiferæ.

Hoc Aphorismo Hippocrates celebrat omni ex parte cœlũ aridũ, sudũ & serenũ, quia digerit omnẽ materiã noxiã, sanitatẽ reddit, corpora firmat, vires auget, oritúrque cœlo puro ac sitiẽte fœcundior annus in omnia frugum genera: verùm imbres, cœlum graue & vmbrosum cuncta profligant, exhibéntque propemodum annuã sterilitatẽ. Præter hæc ferè emergunt ex ortu occasúque siderum horridorum, & per ipsos temporum cardines solstitia & æquinoctia, quibus solet vniuersitas moueri ex suo assueto habitu, & quasi gignere initia morborum popularium.

APHOR. XVI.

Νοσήματα δὲ ἐν μὲν τῇσιν ἐπομβρίῃσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται, πυρετοί τε μακροί, καὶ κοιλίης ῥύσιες, καὶ σηπεδόνες, καὶ ἐπιληψίαι, καὶ ἀποπληξίαι, καὶ κυνάγχαι· ἐν δὲ τοῖσιν αὐχμοῖσι, φθινάδες, ὀφθαλμίαι, ἀρθρίτιδες, στραγγουρίαι, καὶ δυσεντερίαι.

Per imbres morbi sæpenumero nascuntur, febres longæ, & alui deiectiones, & cancri & morbi comitiales, & neruorum resolutiones, & anginæ: in siccitatibus, tabes, lippitudines, articulorum dolores, dysenteriæ & stranguriæ.

Hoc Aphorismo declarat imbres nocere onere humorũ & materia superuacua quæ vires prosternit: verũ immoderata cœlorũ siccitas digerit omnẽ ferè liquidiorem materiã, adfert vegetissimum habitum corporis, nec in eo potest diutius subsistere, ita retrò quasi ruina quadam reuoluitur, & experitur suorum bonorum pericula. Nocet etiamnum siccitas materia quæ deficit, & humorum insigni acrimonia: verùm per imbres & cœlum graue corpora fermè suũ

colorem ac decorem amittunt, ſentiúntque ocyus aliquod proprium incommodum.

APHOR. XVII.

Αἱ δὲ καθ' ἡμέρην καταστάσιες, αἱ μὲν βόρειοι τά τε σώματα συνιστῶσι, καὶ εὔτονα, καὶ εὐκίνητα, καὶ εὔχροα, καὶ εὐηκοώτερα ποιέουσι, καὶ τὰς κοιλίας ξηραίνουσι, καὶ τὰ ὄμματα δάκνουσι, καὶ περὶ τὸν θώρηκα ἄλγημα ἤν τι προϋπάρχῃ, μᾶλλον πονέουσιν. αἱ δὲ νότιοι διαλύουσι τὰ σώματα καὶ ὑγραίνουσι, καὶ βαρυηκοΐας, καὶ καρηβαρίας ποιέουσιν, καὶ ἰλίγγους ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, καὶ τοῖσι σώμασι δυσκινησίην, καὶ τὰς κοιλίας ὑγραίνουσι.

Quotidiani ſtatus aquilonij utique corpora ſpiſſant, mobiliora, uegetiora, colorat iora & expeditiora reddunt: uentrem aſtringunt, uexant oculos, exaſperant etiamnum dolores pectoris qui præceſſerunt. Auſtri uerò corpus diſſoluũt, mollíuntque, mouent capitis grauitatẽ, aures hebetant, offundunt uertiginem, corpora & oculos ſegnitie premunt, ſoluúntque aluum.

HOC loco perſequitur duo genera ventorum, auſtrum & aquilonem. cæteri enim huic vel illi naſcũtur ſimiles. Primùm ergo declarat aquilonem conducere ſano corpori, quoniam firmat eius habitum, colorem commendat, vires alit, robur auget, diſcutítque vniuerſum fermè torporem. Iure ergo ſitus & locus aquilonius omnis alit homines vegetiores ac potentiores quàm regiones auſtro expoſitæ, quæ propemodum omnia corpora dedecorant. Nihilominus aquilo nocet ægrotis, & vbi vires debilitantur. ſiquidem aſtringit corporis emiſſaria, moratur aluum, cruciat oculos, mouet lacrymas, ſubítque penitiſsimos corporis canales, officit pulmonibus, pectus etiamnum malè habet. Porro auſter, ventus vliginoſus grauíſque, infirmat vniuerſum virium robur, caput grauat, torpore premit, tardátque ſenſus planè omnes.

APHOR. XVIII.

Κατὰ δὲ τὰς ὥρας, τοῦ μὲν ἦρος καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος, οἱ παῖδες καὶ οἱ τουτέων ἐχόμενοι τῇσιν ἡλικίῃσιν ἄριστά τε διάγουσι

γευσι καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα· τοῦ δὲ θέρεος καὶ τοῦ φθινοπώρου μέχρι μέν τινος, οἱ γέροντες. τὸ δὲ λοιπὸν φθινοπώρου καὶ τοῦ χειμῶνος, οἱ μέσοι τῇσιν ἡλικίῃσι.

Quod ad ætates uerò pertinet, pueri proximique his uere ac prima æstate optimè ualent, tutisſimique ſunt: ſenes æſtate & prima parte autumni. reliquo autumno ac hyeme, qui inter utramque ætatem agunt.

Hoc Aphoriſmo metitur vires robuſtas & vegetiorem ætatem ex variis annorum partibus. namque ætas molliſsima ac tenerrima conſeruatur aëre mitiſſimo veris, neque ſuſtinet æſtus violentos, neque acerbiſsima frigora: ſenectus autem algidior eſt, iámque planè morbus frigidus, & recreatur calore ſolis. ſed ætas intermedia inter vtramque, cùm puerilem tum ſenilem, calidior eſt ac vegetior. Idcirco violento ſole ęſtúque torrido protinus fatigatur: vtique inualeſcit circumdata frigido ſpiritu, necnon externo frigore.

Aphor. XIX.

Νοσήματα δὲ πάντα ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δ᾽ ἔνια κατ᾽ ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται.

Cuncta genera morborum naſcuntur per omne tempus & per omnem ætatem: nihilominus ex his nonnulli per aliqua tempora magis accedunt & recreſcunt.

Hoc Aphoriſmo memoriæ prodidit, tēpus haud eſſe tutum indicium morborum. ſiquidem in omni tempore, in omni genere tempeſtatum, omnis ętatis, omnis habitus hominum, per omnia genera morborum licet cuique ęgrotare ac decedere. Nihilominus id quādoque rarum eſt, aliàs increbeſcit, velut emergunt horrida ſidera: verùm quieſcentes populares noxæ teſtantur ſidus confectum.

APHOR. XX.

TOῦ μὲν γὰρ ἦρος τὰ μανικὰ καὶ τὰ μελαγχολικὰ, καὶ τὰ ἐπιληπτικὰ, καὶ αἵματος ῥύσιες, καὶ κυνάγχαι, καὶ κόρυζαι, καὶ βράγχοι, καὶ βῆχες, καὶ λέπραι, καὶ λειχῆνες, καὶ ἀλφοὶ, καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσται, καὶ φύματα, καὶ ἀρθριτικά.

Vere oritur insania, bilis atra, morbus comitialis, sanguinis profusio, angina, grauedines, raucedines, scabies, impetigines, uitiligines, pustulæ ulceratæ complures, tubercula, uitiáque articulorum.

HOC Aphorismo cõplectitur noxas veri peculiares, quia humores motu ferè nouantur. nã queadmodum ex vniuersi mutationibus per id tempus cuncta planè reuiuiscunt, aut recreantur: eodem vtique modo natura exigit inutilem materiam, siquam attulerit hyems, omnia nouari visuntur, ac redeũt omnes propemodum noxæ quibus quisque patet.

APHOR. XXI.

TOῦ δὲ θέρεος ἔνιά τε τουτέων, καὶ πυρετοὶ ξυνεχέες, καὶ καῦσοι, καὶ τριταῖοι πλεῖστοι, καὶ τεταρταῖοι, καὶ ἔμετοι, καὶ διάῤῥοιαι, καὶ ὀφθαλμίαι, καὶ ὤτων πόνοι, καὶ στομάτων ἑλκώσιες, καὶ σηπεδόνες αἰδοίων, καὶ ἵδρωα.

Per æstatem ex his nonnulli accedunt, & febres continuæ, & ardentes, & plures tertianæ & quartanæ, uomitiones, deiectiones alui, lippitudines, auricularum dolores, oris ulcera, cancri obscœnarum partium. & quicquid sudore hominem soluit.

PRINCIPIO huius Aphorismi significat noxas per æstatem sæpe fieri, quemadmodum vere nouato materiæ motu: nihilominus calores subinde inflammant iecur ac lienem, mouent febres, prosternunt aluum inferiorẽ, eum quoque perturbant, stomachum in vomitiones effundunt, fulgor cœlorum insignis aciem protinus hebetat, & ex eo facilè lippitudines emergunt, exasperata omni humorum pernicie. deinde per æstatem squalore auriculis obsito protinus exoriuntur intertrigines: æquè quoque ob æstus immodicos

modicos inflãmationes obſcœnarum partium ac podicis citò putreſcunt, incutiúntque metum: quúmque extorret violentus ardor ſolis, celeriter corpora immodico ſudore digeruntur.

APHOR. XXII.

Τοῦ δὲ φθινοπώρου, καὶ τῶν θερινῶν τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι, καὶ πλανῆτες, καὶ σπλῆνες, καὶ ὕδρωπες, καὶ φθίσιες, καὶ στραγγουρίαι, καὶ λειεντερίαι, καὶ δυσεντερίαι, καὶ ἰσχιάδες, καὶ κυνάγχαι, καὶ ἄσθματα, καὶ εἰλεοὶ, καὶ ἐπιληψίαι, καὶ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικά.

Ex morbis æſtiuis complures proficiſcuntur autumno, & quartanæ febres, & incertæ, dolores lienis, aqua inter cutem, tabes, ſtranguria, leuitas inteſtinorum, dyſenteria, coxarum dolores, angina, ſuſpiria, morbus tenuis inteſtini, morbus comitialis, inſania & bilis atra.

Hoc Aphoriſmo præpurgat morbos autumnales, quos tradit ſimiles incõmodis æſtiuis, quia tunc plerumque ſol violentus extorret, qui viſcera inflãmat. Præter hæc autumno cuncta propemodum labant, marcet quicquid terra ex ſe fundit, ac emoritur, nec facilè ferri poteſt inſignis & periculoſa mutatio quã creat autumnus.

APHOR. XXIII.

Τοῦ δὲ χειμῶνος, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, κόρυζαι, βράγχοι, βῆχες, πόνοι στηθέων καὶ πλευρέων καὶ ὀσφύος, καὶ κεφαλαλγίαι, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι.

Per hyemem naſcũtur dolores lateris, morbi pulmonum, lethargus, grauedines, raucedines, tuſsis, dolores pectoris & laterum & lumborum, cruciatus capitis, uertigines, neruorum reſolutiones.

Hoc Aphoriſmo perſtringit morbos hyemi peculiares. nã ſuo atrociſsimo algore nocet pulmonibus, mouet capitis deſtillationes, & irritat quicquid in lateribus, in faucibus, in viſceribus mali contrahitur, capiti ac neruis negotium exhibet.

APHOR. XXIIII.

ΕΝ δὲ τῇσιν ἡλικίῃσι τοιάδε συμβαίνει τοῖσι μὲν σμικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν ἄφθαι, ἔμετοι, βῆχες, ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλοῦ φλεγμοναί, ὤτων ὑγρότητες.

Per ætates talia eueniunt paruis ac nuper editis infantibus serpentia oris ulcera, uomitus, tusses, uigiliæ, metus, inflammationes circa umbilicum, aurium humores.

Hoc Aphorismo complectitur noxas familiares infantibus nuper editis. nam ex lacte vitioso ac eius corruptione, & ex malis humoribus statim incidunt in serpentia oris vlcera. Deinde stomachus insuetus captandis epulis protinus in vomitiones effunditur, ex circumdato spiritu præter consuetudinem tussis affligit, expauescit mens languidissima, inflammatur recèns excisus vmbilicus, aures fluunt: neque ætas tenerrima vacat periculis omnibus.

APHOR. XXV.

Πρὸς δὲ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν, οὔλων ὀδαξισμοί, πυρετοί, σπασμοί, διάρροιαι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀνάγωσι τοὺς κυνόδοντας, καὶ τοῖσι παχυτάτοισι τῶν παιδίων, καὶ τοῖσι σκληρὰς τὰς κοιλίας ἔχουσι.

Quum addentitiones accedunt, nascuntur rosiones gingiuarum, febres, conuulsiones, deiectiones alui, maximéque orientibus dentibus caninis, necnon pueris plenissimis, & quibus uenter astrictus est.

Hoc Aphorismo potissimum persequitur noxas corporis, quas mouent dentitiones. nam profligant robur virium, excitant rheumatismũ capitis, qui gingiuas discruciat, malè habet dentium sedem, moratur intus, creat febres, conuulsiones, alui profluuia, maximéque orientibus dentibus caninis, aut molaribus: siquidem muniuntur diuersis radicibus, & protinus inhibent fluores pernicialis materiæ, ac pituitę vitiosæ cursum, quæ dentibus incumbit ex cerebro. Cæterùm

rùm dentes pertuſa gingiua creant modò prurigině inuicem doloris, quoniam eſt à natura tributa dentibus, ſed cruciātur ex pernicie humorū qui in gingiuas irruunt, donec plerumque diſcedant è viuis, potiſsimum quibus venter adſtrictus eſt, nec liberatur ſuis excremētis, vt decet, neque materia inutili. Ita ex dentiū aut gingiuarū cruciatu corrūpitur intus & negotiū exhibet: æquè quoq; infātes corporis pleniſsimi ſunt vegetiores, ac inſtructi validiſsimo corporis habitu, quem in vitioſum mutant gingiuarū dolores. Ideóque pueri ætatis tenerrimæ vix naſcuntur vitales, ſi ſunt corpulenti ac vegetiſſimi habitus, qui in eodem nō poteſt ſubſiſtere.

APHOR. XXVI.

Πρεσβυτέροισι δὲ γενομένοισι παρίσθμια, σφονδύλου τοῦ κατὰ τὸ ἰνίον εἴσω ὤσιες, ἄσθματα, λιθιάσιες, ἕλμινθες στρογγύλαι, ἀσκαρίδες, ἀκροχορδόνες, σατυριασμοὶ, στραγγουρίαι, χοιράδες, καὶ τὰ ἄλλα φύματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Vbi ætas paulum proceſsit, naſcuntur faucium incommoda, interiorum uertebrarum quæ in ſpina ſunt inclinationes, ſuſpiria, calculi, tineæ tereres, aſcarides, penſiles uerrucæ, ſatyriaſmi, ſtrumæ, necnon alia tubercula, maximéque ſupraposita.

NVNC perſequitur noxas corporis quæ poſt dētitionem accedunt. etenim pueri deinceps indulgent cibis denſis & liberalioribus, qui plerumque mouēt cruditates, vitiantur, atque degenerant in ventris animalia, tubercula, verrucas dolētes, & calculos. Deinde per hanc ætatem ſæpe ruunt mali humores ex cerebro, aut aliter incumbūt in ſpinæ vertebras, debilitant neruos & ligamenta quibus cōtinentur vertebræ, quas ex ſua ſede propellunt, creant gibboſos, neque vis neruorum facilè reſtituitur. Cæterò ſatyriaſmi his literis notant genera tumorum qui tradūtur circa aures prorumpere.

APHOR. XXVII.

Τοῖσι δὲ ἔτι πρεσβυτέροισι καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, τουτέων τε τὰ πολλά, καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον, καὶ ἐκ ῥινῶν αἵματος ῥύσιες.

Senioribus ac incipiente iam pube ex eisdem multa prorumpũt, & febres longiores, & ex naribus sanguinis profluuia.

Hoc Aphorismo significat, adolescentes, vbi pubescere incipiunt, quibus hærent laxiora venarũ spiracula, esse acriore corporis habitu & calidiore, qui maturè corripitur febribus acutis.

APHOR. XXVIII.

Τὰ δὲ πλεῖστα τοῖσι παιδίοισι πάθεα κρίνεται, τὰ μὲν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ μησί, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ ἔτεσι, τὰ δὲ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσιν. ὅσα δ' ἂν διαμείνῃ τοῖσι παιδίοισι, καὶ μὴ ἀπολυθῇ περὶ τὸ ἡβάσκειν, ἢ τῇσι θηλείῃσι περὶ τὰς τῶν καταμηνίων ῥήξιας, χρονίζειν εἴωθεν.

Permulta uitia puerorum finiuntur intra diem quadragesimum: deinde intra septem menses, tum intra annum septimum postea circa pubertatem. Nihilominus quæcunque genera morborum pueris accedunt, neque pubertate finiuntur, neque profusis menstruis, assue erunt longum tempus habere.

Iam illustrat finem morborum qui ante pubertatem nascuntur: porro desistunt intra diem quadragesimum, aut mense septimo, necnon vbi vires firmat varia mutatio cœlorum & victus: sin autem ex his non iuuatur ætas tenerrima, augurium est requiri vegetiorẽ corporis habitum, & laxiora eius emissaria, quò vincatur ac dometur omnium humorum labes, possitque commodius emigrare. Idcirco morbi pueriles qui diu manserint, terminantur pubertate, primis menstruis, aut primis coitibus, quibus corpus mouetur ab eo statu quo laborat.

APHOR.

APHOR. XXIX.

Τοῖσι δὲ νεηνίσκοισιν αἵματος πτύσιες, φθίσιες, πυρετοὶ ὀξέες, ἐπιληψίαι, καὶ τ' ἄλλα νουσήματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Adolescentes sunt obiecti sputo cruento, tabi, febribus acutis, morbo comitiali, & aliis incommodis, maximéque suprapositis.

Hoc loco perpurgat noxas corporis quæ post pubertatem nascuntur: siquidem homines fiunt vegetiores, & calore protinus fatigantur, vt senes frigus grauiter opprimit. Itaque protinus incurrunt in cruentas eruptiones, febres acutas, & morbum sonticum. quúmque iunior est ætas, & molliora sunt narium spiracula, sanguis vitiosus naribus facilè fertur: verùm grandioribus durãtur, nec protinus dehiscũt. ideóque inuicem narium fauces sanguinem edunt, vtpote mollissimæ ac tenerrimæ, & assiduo calore munitæ: senes autẽ patent vitio hemorrhoïdum, quibus fusus sanguis implet vicem cruentæ profusionis faucium & narium.

APHOR. XXX.

Τοῖσι δὲ ὑπὲρ τὴν ἡλικίην ταύτην ἄσθματα, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, φρενίτιδες, καῦσοι, διάῤῥοιαι χρόνιαι, χολέραι, δυσεντερίαι, λειεντερίαι, αἱμοῤῥοΐδες.

Post hanc ætatem suspiria, dolores lateris, morbi pulmonum, lethargus, phrenitides febres ardentes, longæ deiectiones alui, cholera, dysenteria, leuitas intestinorum hæmorrhoides.

Hoc Aphorismo significat ætatem robustissimam omnium, quam subinde exercent diuersa corporis incommoda, fatigatur calore iuuentutis immodico, relabitur in varium corporis habitũ, & experitur diuersas affectiones.

APHOR. XXXI.

Τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι, δυσπνοιαι, κατάῤῥοι βηχώδεες, στραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἄρθρων πόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀποπληξ

ξίαι, καχεξίαι, ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου, ἀγρυπνίαι, κοιλίης καὶ ὀφθαλμῶν καὶ ῥινῶν ὑγρότητες, ἀμβλυωπίαι, γλαυκώσιες, βαρυηκοΐαι.

In senectute spiritus difficultas, destillationes cum tussi, stranguria, dysuria, dolores articulorum, renum uitia, uertigines, neruorum resolutiones, malus corporis habitus, prurigines corporis uniuersi, uigiliæ, fluores uentris, oculorum & narium, acies hebes, suffusiones, grauis auditus.

NVNC paucis complectitur varia corporis incōmoda, quibus senes patēt ob immodicos lapsus virium. Porro γλαυκώσιας diximus suffusiones, sequuti Corneliū Celsum, vbi capite de suffusionibus exprimit Latinis literis locum Hippocratis libri secundi prorrheticorum, in quo suffusiones γλαυκώσιας nominat.

CLAVDII CAMPENSII MEDICI IN QVARTAM SECTIONEM Aphoriſmorum Hippocratis Annotationes.

Aphor. I.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν, ἧσσον δὲ ταύτας· τὰ δὲ νήπια καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι χρή.

Prægnantes licet medicari, ſi turgent, quarto menſe ad ſeptimũ uſque, has utique minus: nihilominus iuniores ac ſeniores uitare oportet.

His literis autor eſt Hippocrates medicamenta cathartica tutius dari prægnantibus quæ iam quartũ menſem agunt, nec ſuperant ſeptimũ, quàm ſi fœtus foret iunior aut ſenior. nam mouetur ſimul cum toto corpore matris, ſentítque medicamentorum vires, & plerumque decutitur ſimul cum his quæ per aluum detrahuntur. Nemo negat abortus ferè concitari ex violento motu hominis qui intus eſt, donec laceratis tunicis quibus continetur, emigret. Idcirco licet granidas quieſcere, nec vti catharticis, potiſſimum vbi cernunt ex mammarum marcore fœtũ languidum: aut iam ſenior eſt ac validior, quíque vi maiore pulſus ſtatim diſcutit membranas quibus retinetur intus: vel quũ iunior ſit ac mollior, non ſuſtinet inſuetas motiones medicamentorum quæ ſumuntur, & mouent abortus periculum.

verùm mẽſe ſeptimo fœtus creſcit,& cietur motu,parátque ſibi locum vaſtiorẽ.idcirco per id tẽpus datis catharticis facilè abortu periclitatur.Nihilominus licet exhibere mitiorá cathartica,vbi prægnãtes occupãtur morbis atrociſſimis,nec poſſunt aliter liberari. Cæterò Hippocrates requirit grauidas quæ turgeant,laborent materia ſuperuacua aut corrupta,quę ſuo onere noxia ſit.neque enim cathartica neceſſaria ſunt, ſi materia deſit, & requiritur plenior refectio corporis.

APHOR. II.

ἘΝ τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος ὁκοῖα καὶ αὐτόματα ἰόντα, χρήσιμα· τὰ δὲ ἐναντίως ἰόντα, παύειν.

Per medicationes bonum eſt ea ex corpore ducere quæ ſponte feruntur:ſed contraria ubi exeunt,debent remorari.

HOC Aphoriſmo celebrat vniuerſa cathartica, vbi extrahũt tolerabiliter humores corruptos, neq; multũ fatigãt hominẽ,ſed videtur aluus ſpõte naturæ fuſa:quæ quum vires vltra modũ infirmãt,mouẽt alui roſiones,& aſsiduam deſidendi cupiditatẽ,atque protinus exaſperant cuncta corporis incommoda.

APHOR. III.

ἩΝ μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι· τὰ δὲ ἐναντία, δυσχερῶς.

Si purgantur quæ purganda ſunt,iuuant,ſuntque tolerabilia:ſed contraria difficilia exoriuntur.

NVNC metitur tolerabiles & commodas purgationes, quia detrahunt noxiam materiam, neque vires profligant:ſin autem exigunt innoxia, ceu integra,vires labant, morbus creſcit, nec expugnatur eius pernicies.

APHOR. IIII.

ΦΑρμακεύειν θέρεος μὲν μᾶλλον τὰς ἄνω· χειμῶνος δὲ, τὰς κάτω.

Per æstatem superiora potiora sunt ad medicandum: per hyemem uerò, inferiora.

Hoc Aphoriſmo declarat vomitiones cōmodius exigere noxas humorum per æſtatem, quia ſuo inſigni ardore proſternit inferiorē aluum, viſcera proſligat, ſtomachum in maturas vomitiones euertit, mouet etiamnum periculoſas ventris reſolutiones. quæ omnia incommoda exaſperant: ſed per hyemem ex circumdato frigore firmantur interanea, ſtomachus inualeſcit, creſcit auiditas eſcarum, difficiliter ſtomachus in vomitiones effunditur, & fiunt mitiores perturbationes alui.

APHOR. V.

Ὑπὸ κύνα καὶ πρὸ κυνὸς ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι.
Sub cane & ante canem medicationes difficiles exoriuntur.

Hoc Aphoriſmo paucis tradit periclitari purgationes tempore æſtatis flagrantiſſimo: neque eſt tutum mouere vomitus, neque aluum ducere, quoniā langueſcit ſedes internorum viſcerum ex ambiente torrido ſpiritu.

APHOR. VI.

Τοὺς ἰσχνοὺς καὶ εὐημέας ἄνω φαρμακεύειν, ὑποστελλομένους χειμῶνα.

Tenues faciléſque ad uomendum, ſurſum medicandi ſunt, uitando hyemem.

Nunc ex triplici corporis habitu metitur medicamenta cathartica. nam vel corpus eſt tenue & macrum, vel plenū & oneratū ſagina, vel inter vtrumq; intermedium & boni habitus. Iā autor eſt Hippocrates, tenues & macilētos iuuari vomitionibus, ſi eorū ſtomachus facilè in vomitiones effunditur, neq; ſtrāgulatū excitent. Sūt enim viribus lāguidioribus, neq;

ſuſtinent potentiora cathartica, quibus maiore vi aluus cietur.

APHOR. VII.

Τοὺς δ' δυσημέας καὶ μέσως εὐσάρκους κάτω, ὑποστελλομένους θέρος.

Qui ægrè uomunt præditi corpore mediocriter pleno, medicantur deorſum, uitando æſtatem.

Hoc Aphoriſmo cadit in firma corpora, quæ nec inſigni macie conſumuntur, neque ſaginantur plenius, inſtruuntur autem validioribus interaneis, quæ facilè ferunt aluum liquidam, niſi venter inferior languidior ſit circũdatus torrido ſpiritu, ſíntque noxiæ reſolutiones alui. Porro deſiderat homines ægrè vomentes, quíque ex eo ſuffocantur & ſunt infirmi.

APHOR. VIII.

Τοὺς δ' φθινώδεας, ὑποστελλομένους τὰς ἄνω.

Tabidi purgandi ſunt uitatis ſuperiorum partiũ medicationibus.

Hoc Aphoriſmo metitur tolerabiles purgationes ex noxis corporis, & vbi procul auocant à loco laborante labem humorũ. Ideóque phthiſis quam mouent grauiſſima pulmonum vlcera, requirit liquidã aluum, quoniã aptius liberat ſuperiora, vbi opus eſt, quibus vomitiones ſunt admodum noxiæ.

APHOR. IX.

Τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς ἁδροτέρως τὰς κάτω, τῷ αὐτῷ λογισμῷ τἀναντία προστιθέντες.

Laborantes atra bile liberalius deorſum medicantur, eadem ratione adhibitis contrariis.

Alio exemplo metitur ſalutiferas purgationes ob idipſum, quoniam procul áuertunt à locis laborantibus

rantibus cuncta incommoda. Iure ergo insanientes reseruat aluus liquida. namque exigit noxas partium superiorum. Cęterò ridere licet Galenum, qui hunc locum tribuit humoribus felleis qui nigrescunt: siquidem Hippocrates verbo atræ bilis notat desip ientes.

Aphor. x.

Φαρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσι, ἢν ὀργᾷ, αὐθημερόν. χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι, κακόν.

Per morbos uehementer acutos eodem die licet medicari, si turget, quibus moram prorogare uitiosum est.

Hoc loco tradit protinus esse offerendas medicationes quum vrgent morbi atrocissimi, ne excitent immodicos lapsus virium, & purgationes intolerabile maneant. Nihilominus requiritur materia superuacua, quæ turgeat & noceat onere. nam aliàs nocent medicationes.

Aphor. xi.

Οκόσοισι στρόφοι περὶ τὸν ὀμφαλὸν γίνονται, καὶ ὀσφύος ἄλγημα μὴ λυόμενον μήτε ὑπὸ φαρμακείης μήτ᾽ ἄλλως, εἰς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύεται.

Vbi rosiones & cruciatus circa umbilicum lumborúmque dolores non soluuntur medicationibus, neque aliter, degenerãt in siccum hydropicum morbum.

Hic Aphorismus priuatim continet morbos intestinorum, eorúmque rosiones grauissimas, quæ quum nec tempore, nec fomentis, nec balneis, nec aluo liquida, nec aliter desinunt, certum est intus conditam esse inutilem materiam, difficilem ad extrahendum, quæ nusquam erumpit, mouet dolores assiduos, trãsitque in siccum hydropa, neque vastius in tumorem assurgit.

APHOR. XII.

Ὁκόσοισι κοιλίαι λειεντεριώδεες, χειμῶνος φαρμακεύειν ἄνω, κακόν.

Quibus uenter laborat lienteria per hyemem, medicationes superiorum partium in malis numerantur.

Hoc Aphoriſmo peculiariter interdicit vomitionibus, ſiquis per hyemem in lienteriam incidit, quoniam exaſperant ſtomachi noxas, nec circumpoſito frigido ſpiritu facilè effunditur in vomitiones, langueſcítque vltra modum leuore inteſtinorũ victus.

APHOR. XIII.

Πρὸς τοὺς ἐλλεβόρους τοῖσι μὴ ῥηιδίως ἄνω καθαιρομένοισι, πρὸ τῆς πόσιος προϋγραίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ, καὶ ἀναπαύσει.

Qui difficiliter per elleborum ſurſum purgantur, accepturi cibo liberaliore, & quiete corpora præmollire debent.

Hic Aphoriſmus eſt proprius omnibus medicamẽtis quæ ſtomachum in vomitiones euertunt: quibus quũ Hippocrates nullum teneret potentius nec efficacius veratro, eius nomine exprimit vniuerſa pharmaca quæ mouent vomitus. Primùm ergo tradit ægrotos ad vomendũ difficiles, vt quibus ſtrangulationis metus inſtant, aut corpus langueſcit. nam facilius vomunt cibo muniti, & omni exercitio quieſcente, quoniam exercitia & ieiunia vires ſine modo profligãt: deinde cibus laxat ſtomachum aſtrictum, cúmque reddit paratum ad euomendum. Cætero Hippocrates ſemper exhibet cathartica ſimul cũ cibo. Nihilominus quæ ducunt aluum, iugiter antecedunt datas epulas, quas ſequũtur quæ vomitiones citãt. Iã licet ridere gregarios medicos: ſiquidẽ alũt hominẽ, ſimulatque cœperit debilitari datis medicationibus:

nibus neque tenent diuina Hippocratis theoremata.

APHOR. XIIII.

Ἐπὴν πίῃ τις ἐλλέβορον, πρὸς μὲν τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν, πρὸς δὲ τοὺς ὕπνους καὶ μὴ κινήσιας, ἧσσον. δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ναυτιλίη ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει.

Vbi quis biberet ueratrum, motu corporis magis lacessendus est, somno uero & quiete, minus. nauigatio etiamnum testatur corpora motione perturbari.

Hoc Aphorismo paucis cõprehendit vsum medicamentorum purgantium, quibus sumptis est interdicendum quieti ac somno. nam motio corporis purgationes auget: etenim sequuntur insuetos humorũ pulsus. Ideóque somnus & quies hebetant vires medicamentorum, quoniam refrenant inchoatos humorum motus. Idque approbat nauigatio. siquidẽ violẽti maris æstus stomachum in vomitiones euertunt, potissimum si fuerint insuetæ nauigationes, quandoquidẽ & medicamenta cathartica & nauigationes suo motu pellunt materiam quæ detrahitur. Idcirço ridendi sunt medici qui somno interdicunt, donec cœperit alui resolutio. neque enim iuuat, nisi quieuerit alui ductio.

APHOR. XV.

Ἐπὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἐλλέβορον, κίνει τὸ σῶμα· ἐπὴν δὲ παῦσαι, ὕπνον ποίει, καὶ μὴ κίνει.

Si uis elleborum magis ducere, moue corpus: si desistere, citato somnum, nec moueare.

Hic Aphorismus facilè intelligitur ex superiore. nam perhibet cathartica medicamenta liberalius aluum ducere non quiescentibus ægrotis neque dormientibus. etenim motu corporis pelluntur quæ in eo insunt: sed mali humores pulsu quodã detrahuntur per aluum.

APHOR. XVI.

Ελλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι· σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει.

Veratrum existit periculosum corpori firmo: nam spasmum concitat.

Hoc Aphorismo perstringit noxas medicamentorum purgantium quæ intempestiuè sumuntur, & vbi nulla incessit necessitas: siquidem transferunt potentissimum corporis habitum ac salutiferum in vitiosum, prostratísque viribus neruos cõtrahunt, mentem abalienant, creant febres & deterrima corporis incommoda. Qúumque Hippocrates non deprehenderet cathartica potentiora nec efficaciora veratro, eius nomine exprimit medicamenta omnium validissima. Idcirco non sunt in pretio qui secundæ valetudini cõsulunt assiduis medicationibus, pertusáque vena: quũ sola abstinẽtia sit salutis tutissimus custos.

APHOR. XVII.

Αποσιτίη ἐοῦσι ἀπυρέτοισι, καὶ καρδιωγμὸς, καὶ σκοτόδινος, καὶ στόμα ἐκπικρούμενον, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Ciborum fastidia, uitia cardiaca, uertigines & oris amaritudines testantur superiora esse purganda, nulla febre urgente.

Nemo complectitur indicia vtilissimæ vomitionis, quoniam intus conditur labes humorum, corruptíque cibi, qui subuertunt stomachum, tollunt escarum appetentiam, mouẽt vitia cardiaca, sufficiunt felleum saporem, & grauioris mali terrorẽ incutiũt, nisi detrahantur, nec sint febrium causæ: siquidem includuntur stomacho aut præcordiis, & matura internorum viscerum incommoda creant: sin autem concitentur ex impetu febrium, signũ est, febres ex præcordiis prorumpere, nec sunt sine metu.

APHOR. XVIII.

TΑ' ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδυνήματα, ὁκόσα καθάρσιος δέονται, ἄνω φαρμακεύειν δεῖσθαι σημαίνει· ὁκόσα δὲ κάτω, κάτω.

Dolores supra pectus denuntiant superiora esse medicanda: sed quicunque infrà negotium exhibent, docent medicandum esse deorsum.

Hoc Aphorismo generatim illustrauit vomitiones & alui ductiones commodas, ne frustretur medicus ex variis doloribus qui sequuntur motiones corruptæ materiæ, quæ continetur excrementorum emissariis. hæc enim facilè sursũ educitur, quia mouet cruciatus superiores pectore: deorsum autem fertur vbi malè habent inferiora.

APHOR. XIX.

OΚόσοι ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσι μὴ διψῶσι, καθαιρόμενοι οὐ παύονται πρὶν ἢ διψήσωσι.

Quicunque epoto pharmaco purgati non sitiunt, non quiescunt ante sitim.

Hoc Aphorismo tradit desistere purgationes quas medicamenta gignunt vbi sitis vrget. docet enim exhaustos humores omnes qui exigi possunt, iámque ferri liquamenta quæ sitim leniunt, nec superesse quidpiam idoneum ad exigendum. Idcirco aliter opus est ægrotis subuenire.

APHOR. XX.

AΠυρέτοισιν ἐοῦσιν ἢν γίγνηται στρόφος, καὶ γουνάτων βάρος, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, κάτω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Vbi tormina & genuum grauitas & lumborum cruciatus sine febre nascuntur, denuntiant necessarias esse inferiorum partium purgationes.

Hoc Aphorismo perpurgat liquidam aluum cõmodam omnibus ægrotis quos inutilis materia onerat, deorsum incumbit, includitur intestinis, mouet eorum rosiones, malè habet lumbos ac genua, neq

febrium causa est. Porro certum est, febrium impetus fatigare vniuersas corporis partes, neque ex eó licet efficere necessariam medicationem, quum noxę huius generis sint peculiares febribus.

APHOR. XXI.

Υ Ποχωρήματα μέλανα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν, ἀπ' αὐτομάτου ἰόντα καὶ ξὺν πυρετῷ καὶ ἄνευ πυρετοῦ, κάκιστα. καὶ ὁκόσῳ ἂν τὰ χρώματα ὑποχωρημάτων πλείω πονηρότερα ᾖ, μᾶλλον κάκιον· ξὺν φαρμάκῳ δὲ, ἄμεινον. καὶ ὁκόσῳ ἂν πλείω χρώματα, οὐ πονηρά.

Nigræ deiectiones similes atro sanguini, quæ sponte prodeunt, siue cum febre, siue sine febre, deterrimæ existunt: quóque plures sũt colores, deteriores exoriuntur. nihilominus cum pharmacis nascuntur præstantiores: & quò plures colores noxa carent.

Hoc Aphorismo metitur aluũ pestiferã ex nigris & malis colorib⁹, qui spõte educũtur nullis datis medicamẽtis, siquidẽ testãtur fermè malo victã naturã, quæ non reprimit grauissimã perniciẽ humorũ, nec mitigat eorum tetrum colorẽ, siue vrgeat febris, siue desit. deinde aluús terrorẽ incutit, quia detrahit plures colores pestiféros, quíque denuntiant intus subesse varias humorum corruptiones: sin autẽ datis catharticis exiguntur colores teterrimi, est minus noxiũ, quia liberatur æger graui labe ex vsu medicamẽtorũ. Cęterùm Hippocrates requirit aluũ nigram similẽ atro sanguini: quandoquidẽ sæpe aluo nigra descẽdunt sine vllo metu cibo sumpto, potu aut medicamẽto, quæ nigritiẽ adferunt. Iure ergo turpiter labuntur qui ex frigore & calore metiuntur tetros humorũ colores. nãque frigus & calor internorũ viscerũ mitiorẽ vim habent, neq; nigritiẽ gignunt: sed teter color omnis sequitur intolerabilẽ humorũ corruptelã. Neque dubiũ est nigrescere deiectiones salui similes sanguini atro, vbi intẽditur niger color eorũ quæ egeruntur, éstque vltra modum saturatus.

APHOR.

APHOR. XXII.

Νοσημάτων ὁκόσων ἀρχομένων ἢν χολὴ μέλαινα ἢ ἄνω ἢ κάτω ὑπέλθῃ, θανάσιμον.

Quibuſcunque morbis incipientibus bilis atra ſurſum uel deorſum fertur, exiſtit mortiferum.

Hoc Aphoriſmo declarat mortifera corporis incõmoda ęſtimari ex nigra bile quę protin' in morbo recẽti ſe oſtendit ſuprà vel infrá. docet enim intolerabile principium morborum, quibus creſcentibus omnia ſunt in præcipiti.

APHOR. XXIII.

Ὁκόσοισιν ἐκ νοσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ τρωμάτων, ἢ ἄλλως πως λεπτυνομένοισι χολὴ μέλαινα, ἢ οἷον αἷμα μέλαν ὑπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσι.

Vbicũque ex morbis acutis aut diutinis, aut ex ictu, aut aliàs maci lẽtis bilis nigra aut ſimilis atro ſanguini ſubierit, poſtridie moriũtur.

Hic Aphoriſmus eſt proprius macie cõſumptis, quibus mors eſt in propinquo, vbi ſe promit bilis atra, aut ſimilis nigro ſanguini: hęc enim teſtatur vires ĩfirmas haud reprimere tetrũ colorẽ humoris fellei, nec vllã eius perniciem. Cęterò tabes nonnunquam mouetur ex impetu morborum acutorum, aliàs ex malis diutinis, aut ex ictu pręſtãtiore, ex malis medicamentis, ex cibis inuſitatis & peſtiferis: vel eſt atrophia, vel phthiſis.

APHOR. XXIIII.

Δυσεντερίη ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον.

Si dyſenteria ab atra bile cœperit, eſt mortalis.

Hoc Aphoriſmo metitur dyſenteriã mortiferã ex aluo nigra, quæ per initia mouetur. creſcit enim deinceps, comitatur graue labẽ humorũ, trucidátq; hominẽ exaſperata omni pernicie. Cæterũ haud celebrãdus eſt Galenus, qa rat' eſt aluũ nigrã ſignificare cãcrũ inteſtinorũ: ſiq dẽ his literis Hippocrates agit de recẽti dyſenteria, ex qua nõ putreſcunt inteſtina, niſi diutius traxerit, & in præcipiti omnia appareãt.

APHOR. XXV.

Αἷμα ἄνω μὲν, ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακὸν· κάτω δὲ, ἀγαθὸν, μέλαν ὑποχωρέον.

Qualis fuerit ſanguis ſurſum, eſt uitioſus: ſed deorſum, iuuat excretus niger.

Hic Aphoriſmus cadit in fluores ventris & roſiones quæ frequenter deſiſtunt per ſtrigmenta ſanguinis, eiúſque profluuia quæ deorſum incumbunt, liberant noxas menſium, hemorrhoïdum, & diuerſa corporis incommoda iuuant: verùm cruores fermè ruunt ſurſum ex internorum viſcerum inflãmationibus & corrupto ſanguine; atque vbi corpora immodico fluore laborant.

APHOR. XXVI.

Ἢν ὑπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ ὁκοῖαι ἂν σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον.

Si dyſenteria detenti excernunt ſimilia corporibus, eſt mortiferũ.

Hoc Aphoriſmo metitur dyſenteriam mortiferam ex corpulentis deiectionibus, quæ non ſunt liquamenta, verùm repręſentant ſquamulas & dẽſiora corpuſcula: ſiquidem teſtantur intus inteſtina, & ſubeſſe vlcus mortiferum.

APHOR. XXVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι αἱμορραγέει πλῆθος ὁκοθενοῦν, ἐν τῇσιν ἀναλήψεσι τουτέοισιν αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται.

Quum per febres ſanguis undecunque prorũpit liberaliter, in refectione liquatur aluus.

Hoc Aphoriſmo præſagit in futurum alui reſolutiones, quoniam febriculoſi non ſanantur ex toto ſanguine manante liberaliter: verùm intus conduntur mali humores, qui reualeſcentibus detrahuntur per aluum.

APHOR. XXVIII.

Ὁκόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα, κωφώσιος γινομένης παύεται· καὶ ὁκόσοισι κώφωσις, χολωδέων γινομένων παύεται.

Vbicunque aluus biliosa est, quiescit surditate: necnon surditas aluo biliosa.

Hoc loco illustrat potentissimum cõmercium surditatis & ventris fellei, quia sibi inuicem succurrũt. docent enim moueri corpus ab eo statu quo detinetur. Nãque surditas per biliosas alui resolutiones denuntiat felleam materiam ex aluo ad sua emissaria euocari, nec iam aluo descendere: æquè quoque surditas tollitur aluo fellea, quæ cuncta incõmoda elicit ex præclusis aurium spiraculis.

APHOR. XXIX.

Ὁκόσοισι ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἑκταίοισιν ἐοῦσι ῥίγεα γίνεται, δύσκριτα.

Vbi per febres die sexto rigores opprimunt, uix indicantur.

His literis notat futurum rigorem intolerabilẽ eorum qui febre laborant, etiamsi appareat abducere corpora ab eo statu in quo sunt. Nihilominus cunctæ morborum mutationes die sexto perdifficiles nascuntur, nec quidpiam afferunt.

APHOR. XXX.

Ὁκόσοισι παροξυσμοὶ γίνονται, ἣν ἂν ὥρην ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ἐς τὴν αὔριον τὴν αὐτὴν ὥρην ἣν λάβῃ, δύσκριτα.

Vbicunque fiunt accessiones, quotunque tempore febris dimiserit, si per diem posterum eodem tempore corripiat, ægrè iudicatur.

Hic Aphorismus cõtinet febres periodicas, quarum accessiones ex toto desistunt, & relinquunt corpus integrum, nihilominus redeunt certo circuitu: quæ quum non dimittunt longiore mora, sed die postero, quo tempore quieuerunt, eodem reuertuntur,

facilè degenerant in continuas febres, aut aliquod vitium atrox, comitantur grauissimam labem humorum qui domantur difficiliter, neque sunt sine metu.

APHOR. XXXI.

Τοῖσι κοπιώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἐς ἄρθρα καὶ παρὰ τὰς γνάθους μάλιστα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

Lassatis per febres abscessus potissimum fatigant articulos & circa maxillas.

HIC Aphorismus priuatim cadit in febres deteriores, quæ quum desinunt, manet grauis lassitudo & fatigatio corporis, quam creat pernicies humorum, nec potuerunt domari neque detrahi vt æquum est. Ita abduntur intus, cruciant articulos, mouent parotides, aut alios bubones, & incumbunt in aliquam partem.

APHOR. XXXII.

Ὁκόσοισι δὲ ἀνισταμένοισιν ἐκ τῶν νούσων τι πονέει, ἐνταῦθα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

Quum liberatis morbo quidpiam male habet, ibi nascuntur abscessus.

HOC Aphorismo agit de abscessibus qui reseruant ægrotos: eorum vtique sedes æstimanda est ex dolore qui manet assiduus morbo finito. docet enim corruptam materiam quę in locum laborantē irruit.

APHOR. XXXIII.

Ἀτὰρ ἢν καὶ προπεπονηκός τι ᾖ πρὸ τοῦ νοσέειν, ἐνταῦθα στηρίζει ἡ νοῦσος.

Sed si ante morbum aliquid prius malè habeat, ibi morbus cōsistit.

HIC Aphorismus declarat sedē morbi eliciēdam esse ex doloribus qui præcesserunt, & ex parte laborante, quæque morbis facilè patet. nā ex ea vires lan-

guent,concitatur labes humorum, & quiſque morbis corripitur.

APHOR. XXXIIII.

HN ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγγι, πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιγίγνηται, θανάσιμον.

Si febricitantes liberati faucium tumore ſubitò ſtrangulantur, eſt mortiferum.

His literis metitur febres mortiferas ex ſubita ſuffocatione quæ accedit,& ſequitur perniciem humorum qui fauces occludunt, nec earum tumores nec rubores vlli apparent,intus abduntur cuncta faucium incommoda, &maturum interitum adferunt: aut repentina ſuſpiria hominem ſuffocant ſine faucium noxis.

APHOR. XXXV.

HN ὑπὸ τοῦ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἐπιστραφῇ, καὶ μόγις καταπίνειν δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος, θανάσιμον.

Quum febriculoſis ceruix ſubinde peruertitur, nec eſt facile bibere tumore liberatos, naſcitur mortiferum.

Hoc Aphoriſmo perpurgat febres mortiferas, quia mouent ſubitas ceruicis conuulſiones, gignunt tetanum, emproſtothonũ, aut opiſtothonũ ob immodicos virium lapſus: neque eſt facile indulgere potionibus,quamuis omnes potionum canales tumore liberẽtur, ex inſigni faſtidio omnium eſcarum

APHOR. XXXVI.

IΔρῶτες πυρεταίνουσιν ἢν ἄρξωνται, ἀγαθοὶ τριταῖοι, καὶ πεμπταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι, καὶ ἐναταῖοι, καὶ ἑνδεκαταῖοι, καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ ἑπτακαιδεκαταῖοι, καὶ μίῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ τριακοστῇ πρώτῃ, καὶ τριακοστῇ τετάρτῃ. οὗτοι γὰρ οἱ ἱδρῶτες νούσους κρίνουσιν· οἱ δὲ μὴ οὕτως γινόμενοι, πόνον σημαίνουσι, καὶ μῆκος νούσου, καὶ ὑποτροπιασμόν.

Si febricitantes ſudare cœperint, bonum eſt die tertio, & quinto, &

ſeptimo, & nono, & decimoprimo, & decimoquarto, & decimoſeptimo, & uigeſimoprimo, & uigeſimoſeptimo, & trigeſimoprimo, & trigeſimoquarto: ſiquidem ex his ſudoribus morbi finiuntur: qui uerò non oriuntur hoc modo, demonſtrant cruciatus, morbum longum, & recidiuas.

Hoc Aphoriſmo celebrat ſudoris eruptiones quę ſequuntur dies criticos, quia tutò omnes morbos leuant, & extrahunt inutilem materiam. Cæterùm ſudores qui ruunt extra dies criticos, vel concitãtur ex grauiſsimis doloribus ac inflammationibus, vel ex incõmodis materię ſuperuacuæ, quæ morbos in longum tẽpus protrahit, vel recidiuæ metum adferunt. Porro nunc videtur tribuere magnam potẽtiam imparibus diebus, vt tertio, vt quinto: etiamſi alibi exiſtimauerit diem quartum eſſe efficaciſsimum, quia finit nouiſsimos febriũ circuitus: ſed dies tertius, quintus, nonus, vt impares habentur potentiſsimi. Nihilominus vix patet ſatis efficax horum dierum ratio, quia decimus & duodecimus ſecundi ſeptenarii nullam vim habent, tamẽ obtinẽt locum tertii & quinti ſecundi ſeptenarii: verùm maior tribuitur potentia nono & decimoprimo. Id vtique videtur fieri ob id ipſum, quoniam poſt diem quartum tenent ordinem quintum & ſeptenarium. quúmque medicatione & ſanguinis detractione adhibita quocunque tempore morbi deſiſtant, mirum eſt, Hippocratem iugiter deſiderare ſuos criticos dies, quibus morbi omnes tutò poſſint quieſcere. Certum eſt numeros Pythagoricos fefelliſſe antiquiſſimos medicos.

APHOR. XXXVII.

Οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γιγνόμενοι, θάνατον· ξὺν πρηϊτέρῳ δὲ, μῆκος νούσου σημαίνουσι.

Sudores frigidi cum acuta febre ſunt mortales: ſed cum mitiore, teſtantur morbum diuturnum.

Nunc

Nunc tradit, ſudorem frigidum denuntiare febres acutas mortiferas, quoniam ex eo recreſcunt, donec trucident. Porro ſudor frigidus fertur ex algida materia quæ intus continetur, nec ſuſcepit vllã naturæ mutationem. Nihilominus inter febres non acutas nec mortiferas ſudor frigidus loco interitus cuncta in longum tempus protrahit.

APHOR. XXXVIII.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος ἱδρὼς, ἐνταῦθα φράζει τὴν νοῦσον.
Vbi corpora inſudant, morbum teſtantur.

Hoc Aphoriſmo præſagit in futurum ſiniſtram valetudinem ex inſueto ſudore, niſi tegumenta (calor externus) aut alia cauſa euidens ſudorem concitauerit. namque prorumpit ex inutili materia aut eſca vitioſa, atque teſtatur dimoueri corpora à ſuo ſtatu naturali & aſſueto.

APHOR. XXXIX.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος θερμὸν ἢ ψυχρὸν, ἐνταῦθα ἡ νοῦσος.
Vbi calor aut frigus corpori inſunt, ibi morbus eſt.

Hoc Aphoriſmo ex inſueto calore aut frigore metitur corpora morboſa. etenim teſtãtur mutari eorum ſtatum naturalem & conſuetum, atque in alienum habitum ac inſolitum degenerare.

APHOR. XL.

Καὶ ὅκου ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ ἢν τὸ σῶμα καταψύχηται, ἢ αὖθις θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίνηται, μῆκος νούσου σημαίνει.

Vbi mutatur totum corpus, nec non ſi corpora algent, rurſúſque extorrent, aut colos alius ex aliuo fit, docent morbum longum.

Hic Aphoriſmus cadit in eos qui morbis impediuntur, quos tradit non deſiſtere priuſquam redeat naturalis & aſſuetus corporis habitus. Ideóque vbi hæret macies intolerabilis corporis, neque accipit re

fectionem, aut mutantur mores hominis, augurium est corpus abduci à suo naturali statu. AEquè quoque vbi premitur insueto calore ac frigore, ac eorum mutationibus: similiter vbi colores iugiter alienantur, accedente aliàs eorũ mutatione, signum est non reuerti firmum corporis habitum, & morbos remanere.

APHOR. XLI.

Ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου ἄνευ φανερῆς αἰτίης γινόμενος τῷ σώματι, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι τοῦτο γίγνηται, σημαίνει ὅτι κενώσιος δέεται.

Multus sudor per somnum ortus sine ulla causa manifesta, docet corpus uti cibo liberaliore: si uerò id euenit nullum cibum capientibus, testatur requiri inanitionem.

Hoc Aphorismo complectitur causam sudoris qui nonnunquam oritur dormientibus sine vlla causa manifesta, quum neque externus calor, neque stragula hunc sudorem moueant: verùm concitatur ex crapula & esca liberaliore, quæ vitiatur in materiam inutilem, & sudor fusus est auxilio. Nihilominus ci9 incommodis ieiunia succurrunt: sin autem vrget ciborum fastidium, & sudor per somnum fertur liberaliter, denuntiat intus subesse grauem labem humorum, qui tollunt ciborum auiditatem, & incutiũt periculum mali deterioris, nisi detrahantur.

APHOR. XLII.

Ἱδρὼς πολὺς ψυχρὸς ἢ θερμὸς αἰεὶ ῥέων, ὁ ψυχρὸς μείζω, ὁ δὲ θερμὸς ἐλάσσω νοῦσον σημαίνει.

Sudor multus frigidus aut calidus fusus assiduè, frigidus maiorem, calidus leuiorem morbum denuntiat.

Hoc Aphorismo prænuntiat in futurum sinistram valetudinem ex liberali sudoris profusione, siue sudor oriatur calidus, siue frigidus. Nam testatur

intus

intus conditã superuacuã materiam quæ sudorẽ pellit, & dimouet corpus ab eo statu in quo est. nihilominus frigidus sudor oritur ex vitiosa materia intolerabili, quæque nullã suscepit naturæ mutationem, quum ne calorem quidem nobis familiarissimum cõtraxerit.

APHOR. XLIII.

Οἱ πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ διαλείποντες διὰ τρίτης ἰσχυρότεροι γίνονται, μᾶλλον ἐπικίνδυνοι· ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres quæ non quiescunt grauiores per diem tertium, nascuntur magis periculosæ: sed quoquomodo dimiserint, nullum ostendunt periculum.

HIC Aphorismus est proprius febribus semitertianis quæ recrescunt per diem tertium, neque dimittunt per decessiones corpus integrum, sed tantummodo molliuntur: sunt autem periculosæ, quia facilè degenerant in febrem continuam: sin autem in legitimas periodicas se vertunt, carent omni periculo. Iam licet illudere philosophis qui iungunt varia genera febrium, vt efficiant semitertianam, quum sit æstimanda ex media quadam natura, quam obtinet inter periodicas & assiduas febres. neque enim vnquam dimittit corpus integrum, deinde redit tertio quóque die, & recrescit.

APHOR. XLIIII.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροί, τούτοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐγγίνονται.

Vbi febres diu manent, tubercula uel dolores fatigant articulos

Hoc Aphorismo tradit vitia articulorum, dolores tumorésque concitari ex diutinis febribus, quæ solent mouere collectiones viscerum, aut incommoda humorum qui irruunt in articulos.

APHOR. XLV.

Ὁκόσοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐκ πυρετῶν γίνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quum ex febribus tubercula uel dolores fatigant articulos, cibus liberalis usu uenit.

Hoc Aphorismo declarat vitia articulorum, dolores ac tumores mouere escam liberalem, cui febricitantes indulgent. nam intus corrumpitur, putrescit in vitiosam materiã, quę miscetur causę morbi, & omnia incommoda exasperat. Idcirco bonum est febriculosos parcius alere, necnon reficere esca facili ad vaporandum.

APHOR. XLVI.

Ἢν ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι θανάσιμον.

Si rigor incidit febre non quiescente, iam languenti mortem adfert.

Hoc loco metitur febres mortiferas ex rigore qui febrem non mutat, neque abducit corpus ab eo statu quo detinetur, sed exasperat vires infirmas.

APHOR. XLVII.

Αἱ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι μὴ διαλείπουσιν αἱ πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ δυσώδεες, καὶ χολώδεες, πᾶσαι κακαί· ἀποχωρεῦσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαὶ, καὶ κατὰ τὰς διαχωρήσιας, καὶ κατὰ τὰ οὖρα. ἢν δὲ μή τι τῶν συμφερόντων ἐκκρίνηται διὰ τῶν τόπων τούτων, κακόν.

Screatus liuidi per febres quæ non desinunt, & cruenti, & fœdi, & biliosi omnes ac uitiosi nascuntur: sed quæ excernuntur ut æquum est, & per aluum & per urinam, numerantur in bonis. Porro siquid ex his quæ non conducunt per hæc loca repurgatur, est uitiosum.

Hoc Aphorismo metitur febres periculosas ex malo screatu, quoniam denuntiat graues noxas interaneorum.

raneorum.quúmque febriculosi cuncta educunt vt æquum est, sunt sine vllo metu: sed purgationes inutiles incutiunt terrorem.

APHOR. XLVIII.

ΕΝ τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δ' ἔνδον καίηται καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

Si per febres quæ non desinunt externa algent, deflagrant autem interna & sitim faciunt. oritur mortale.

Hoc Aphorismo persequitur mortales febres assiduas, quia extorrent interanea, sitim mouent, nec eorum æstus subeunt extrorsum, malo victa natura.

APHOR. XLIX.

ΕΝ μὴ διαλείποντι πυρετῷ ἢν χεῖλος, ἢ ὀφρὺς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενέος ἐόντος τοῦ σώματος, ὅ, τι ἂν τουτέων γένηται, ἐγγὺς ὁ θάνατος.

Cui febre non quiescente labra peruertuntur, uel supercilia, uel oculi, uel nares, isque per imbecillitatem corporis iam non audit, aut non uidet, ubi eorum quidpiam nascitur, mors est in propinquo.

Hoc Aphorismo comprehendit maturæ mortis indicia, quoniam assiduæ febres vires sine modo profligant, ex nimia infirmitate nerui cōtrahuntur, & hebescit acies sensuum.

APHOR. L.

ΟΚου δὲ ἐν τῷ πυρετῷ μὴ διαλείποντι δύσπνοια γένηται καὶ παραφροσύνη, θανάσιμον.

Quum per febres quæ non desinunt oritur insania ac difficilis spiritus, est mortiferum.

Nunc perstringit mortis testimonia, quoniam febres assiduæ excitant immodicos virium lapsus, neque effuso robore virium spirit' ex facili trahitur, atque ex eo mens labat.

APHOR. LI.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσιν ἀποστήματα μὴ λυόμενα πρὸς τὰς πρώτας κρίσιας, μῆκος νούσου σημαίνει.

Per febres accessus qui non soluuntur ex primis crisibus, testantur morbum diutinum.

HIS literis significat fore diutinas noxas abscessuum qui per febres nascũtur, neque desistunt ex precipuis febrium mutationibus, neque dissoluũtur, sed iugiter affligunt, transeunt in sæuissimas vomicas, aut vlcera tetra.

APHOR. LII.

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἢ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἀῤῥωστίῃσι κατὰ προαίρεσιν ὀφθαλμοὶ δακρύουσιν, οὐδὲν ἄτοπον· ὁκόσοισι δὲ μὴ κατὰ προαίρεσιν, ἀτοπώτερον.

Qum per febres aut alios morbos oculi ex uoluntate lacrymant, nullum est absurdum: quúmque sine uoluntate, est absurdius.

HOC Aphorismo perpurgat pericula febrium & omnium noxarum corporis, quoniam lacrymæ sine voluntate eunt, neque eas mouent animi perturbationes. testantur enim ex nimio langore non reprimi nec inhiberi quod opus est.

APHOR. LIII.

ΟΚόσοισι δὲ ἐπὶ τῶν ὀδόντων ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περιγλισχραίνεται, ἰσχυρότεροι γίνονται οἱ πυρετοί.

Quum per febres glutinosa dentibus innascuntur, febres fiunt uehementiores.

NVNC tradit febres fore grauiores, quoniam os scatet mucosa materia, dentibus adglutinatur, subit linguam, prorumpit ex interaneis, & protinus sua pernicie febres auget.

APHOR. LIIII.

ΟΚόσοισιν ἐπὶ πολὺ βῆχες ξηραὶ βραχέα ἐρεθίζουσαι ἐν πυρετοῖσι καυσώδεσιν, οὐ πάνυ τι διψώδεές εἰσιν.

Quum

Quum per febres ardentes tuſſis arida frequenter paulum prouocatur, rarò ſitis affligit.

Hoc Aphoriſmo perſequitur febres ardentes mitiſsimas, quia modò ſiccam tuſſim creant, quæ ſæpe leuiter promouetur ſine vllo dolore, nec ſitis affligit ex hoc tolerabili febrium genere. Mirum eſt, Galenum tradidiſſe, ſitim febriculoſis mitigari ob rheumatiſmum capitis, qui rigat fauces. nam quieſcit ſaturato ſtomacho, qui ſufficit omnem madorem faucibus.

APHOR. LV.

Οἱ ἐπὶ βουβῶσι πυρετοὶ πάντες κακοὶ πλὴν τῶν ἐφημέρων.

Ex bubone inguinis omnes febres ſunt pernicioſæ præter diarias.

Hic Aphoriſmus peculiariter illuſtrat febres peſtiferas, quas licet metiri ex bubone alarũ, inguinum & pone aures: quorum omnium eadem ſubeſt ratio. Etenim peſtiferę febres prorumpunt ex incommodis internorum viſcerum: bubones verò ſubeunt in externas partes, neque internas liberãt. Iure ergo demonſtrant, inſignem labem humorum negotium faceſſere, & vbique redundare. Nõ eſt diſpar ratio carbunculorum & omnium papularum eruptionis. nihilominus febris diaria, quæque manet diutius, oſtẽdit interna viſcera liberari omni humorum corruptione. Neque ſunt in pretio qui tradũt, febres peſtiferas creſcere ex bubonum impetu: ſiquidem molliuntur ſimulatque cœperunt bubones ſuppurari, quæ aliàs cuncta corporis incommoda exaſperant.

APHOR. LVI.

Πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγενόμενος, μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ, κακόν. μηκυνεῖ γὰρ ἡ νοῦσος, καὶ ὑγρασίην πλείω σημαίνει.

Sudor accedens febriculoſis, febre non quieſcente exiſtit vitioſus.

nam morbos in longum tempus porrigit, denuntiátque humorum abundantiam.

Nvnc illustrat febres perniciosas, quia sudore fuso non desistunt, sed æquè concitatę continuant, sequuntur magnam vbertatē materię inutilis, aut graues cruciatus: ideóque diu hęrent, vel adferunt interitus periculum.

Aphor. LVII.

Υπὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλουμένῳ πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸ νούσημα.

Febris subsequens laborantes spasmo vel tetano morbum soluit.

His literis autor est Hippocrates, febres quę sequūtur mederi conuulsionibus. nam abducunt corpus ab eo statu in quo est, liberant incōmoda corporis à tergo, & sunt mitiores conuulsionibus. hoc vtique auxilium fortuitum existimandum est, neque febris sit atrox.

Aphor. LVIII.

Υπὸ καύσου ἐχομένῳ ἐπιγενομένου ῥίγεος λύσις γίνεται.

Ardenti febre correpti reseruantur accedente rigore.

Nvnc declarat, febres ardentes mitigari subsequente rigore, quoniam dimouet corpus ab eo statu quo laborat, & discutit eius noxas acerbiores.

Aphor. LIX.

Τριταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι, τὸ μακρότατον.

Tertiana exquisita tardissimè finitur intra septem circuitus.

Hoc Aphorismo comprehendit tertianas periodicas quæ in remissione ex toto desistunt, nec longius porriguntur, quoniam vel degenerant in febres assiduas, vel nūquam redeunt, Quúmque vehementius nos cruciare soleant, & nonnunquā maneat corpus integrum, non acutæ sed exquisitæ appellantur.

Cæterò

Cæterò finiuntur intra duas ſeptimanas inſtar morborum acutorum. nam ſeptem circuitus continentur diebus decem & quatuor. Verùm eadem eſt ratio acceſsionis periodicarum febrium atque dierum criticorum febrium quę ſunt aſsiduæ. Neque ſunt in pretio qui comminiſcuntur tertianas nothas expertes doctrinæ Hippocratis: ſiquidē ſentiuntur legitimæ tertianæ, quia ex toto in remiſsione deſiſtūt: ſemitertianæ autem nunquam relinquunt corpus integrum, nec ſunt numerandæ in legitimis tertianis.

APHOR. LX.

Ὁκόσοισιν ἂν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυὲν ἢ κοιλίη ἐκταραχθεῖσα λύει τὸ νόσημα.

Quum per febres aures ſunt obtuſæ, ſanguis fuſus naribus vel aluus perturbata ſoluit morbum.

HIC Aphoriſmus complectitur febres acerbiores quæ aures hebetant, & ſenſus tardant: nihilominus molliuntur ſanguine ruente naribus, & aluo liquida, quæ omnes febrium noxas detrahunt.

APHOR. LXI.

Πυρέσσοντι ἢν μὴ ἐν περισσῇσιν ἡμέρῃσιν ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ὑποτροπιάζειν εἴωθεν.

Si febris non dimiſerit intra dies impares, adferre ſolet recidiuas.

ASCLEPIADES, autore Celſo, hunc Aphoriſmum tanquam vanum repudiauit, neque in vllo die, quia per impárne eſſet, dixit, febricitantibus vel maius vel minus periculum fore. Nihilominus ſole clarius eſt, naturam cūcta digerere ac diſpenſare certa ſerie. Idcirco acceſsiones periodicarum febrium ſingulæ ſuo tempore redeunt. Verùm priſci ſedulò deprehenderunt dies impares longè efficaciſsimos ad iudicādum, maximéque diſcrimina periculorum in morbis maiore vi fieri putant in diebus qui conficiūtur ex numero ſeptenario, atque ſeptimū diem

maxi-

maximè criticum dixerunt medici, velut autor est Gellius. Cæterò & medicatione adhibita & sanguinis detractione quocunque tempore perspicimus febres finiri, nec vllum subesse recidiuæ metum, quanuis desistāt intra dies impares: sed vetustissimos medicos summopere fefellerunt numeri Pythagorici.

APHOR. LXII.

ὉΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτεροι ἐπιγίνονται πρὸ τῆς ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν.

Vbi per febres pallor corpus decolorat ante diem septimum, mali morbi signum est.

NVNC ferè subiicit exemplum Aphorismi superioris, quoniā febres desinūt suffusa bile: quod quum euenit die sexto vel ante septimum, est sine auxilio. nam vel tumores viscerum bilem suffundunt, vel biliosa incommoda recrescunt, & sua pernicie corpora decolorant.

APHOR. LXIII.

ὉΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥίγεα γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται.

Quum per febres quotidie rigores nascuntur, quotidie febres desinunt.

HOC Aphorismo perstringit indicia periodicarum febrium, quarum accessiones redeunt quotidie, neque in continuis debent numerari. Idque diuulgauit ne frustretur medicus ex impetu febris quotidianæ, cuius accessio sępe reuertitur nondum priore finita. Nec sunt alicuius autoritatis qui cōminiscuntur continuas febres periodicis annexas.

APHOR. LXIIII.

ὉΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐννάτῃ, ἢ τῇ ἑνδεκάτῃ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθὸν, ἢν μὴ

τὰ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ᾖ· ἢν δὲ μὴ, οὐκ ἀγαθόν.

Quùm per febres bilis suffunditur die septimo, aut nono, aut decimoprimo, aut decimoquarto, in bonis est, nisi præcordia dextra parte dura manserint: quæ quum induruerunt, nequaquam bono est.

Hoc Aphorismo declarat febres leuari felleis suffusionibus quę nascuntur intra dies criticos, mollibus tantummodo substantibus præcordiis, quoniam interanea liberant omni humorum labe: verùm prę cordia dextra parte indurant collectiones iocinoris & grauissima eius incommoda, quæ non sunt sine metu.

APHOR. LXV.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσι περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν καὶ καρδιωγμὸς, κακόν.

Per febres vehemens æstus circa ventrem ac morbus cardiacus numeratur in malis.

Hoc Aphorismo perpurgat febres periculosas, quia vehementer extorrent circa ventrem & concitant æstus circa partes quibus viscera continentur, infirmant stomachum, mouent vitia cardiaca, & prorumpunt ex præcordiis.

APHOR. LXVI.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσιν ὀξέσιν οἱ σπασμοὶ καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν.

Per febres acutas spasmi & acerbi cruciatus circa viscera numerantur in malis.

His literis illustrat pericula febrium acutarum, quia ex nimio virium langore contrahunt neruos, & grauiter cruciant sedem viscerum exasperata omni labe humorum ex quibus nascuntur.

APHOR. LXVII.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσιν οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι ἢ σπασμοὶ, κακόν.

Per febres ex somno metus & spasmus habentur in malis.

Nunc persequitur febres perniciosas, quia vires sine modo profligant, neque in somno reualescunt, sed vrgent animi perturbationes, metus accedit, mens alienatur, & contrahuntur nerui.

Aphor. LXVIII.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὸ πνεῦμα προσκόπτον, κακόν. σπασμὸν γὰρ μαίνει.

Per febres spiritus elisus est in malis. namque docet conuulsionem.

Hoc Aphorismo demonstrat febres periculosas æstimandas esse quia spiritum elidunt, sine quo nullus est vitę locus. ideóque testantur futuras conuulsiones, insaniam, soporem inexpugnabilem, & metum mali grauissimi.

Aphor. LXIX.

Ὁκόσοισιν οὖρα παχέα, θρομβώδεα, ὀλίγα, οὐκ ἀπυρέτοισι, πλῆθος ἐπελθὸν ἐκ τουτέων λεπτὸν, ὠφελέει· μάλιστα δὲ τὰ τοιαῦτα ἔρχεται οἷσιν ἐξ ἀρχῆς ἢ διὰ ταχέων ὑπόστασιν ἴσχει.

Quibus vrinæ crassæ, exiguæ, turbidæ, non sine febre existunt, iuuat ex his fusa abundantia tenuis: tales autem potissimum prodeunt quæ per initia aut protinus pessum eunt.

Hic Aphorismus peculiariter illustrat intolerabiles vrinæ angustias quæ fertur crassa, turbida, & in parua copia, non sine febre & cruciatu atrocissimo. nihilominus conducit eiusdem tenuis liberale profluuium: siquidem laxat præclusos vrinę canales. Cæterùm subiicit hanc vrinæ difficultatem potissimum leuari vbi per initia & quum recens morbus est, in ea sidunt humores corrupti, qui intercluserant vrinæ spiracula, iámque statim educuntur.

Aphor. LXX.

Ὁκόσοισι δὲ ἐν πυρετοῖσι τὰ οὖρα ἀναπεταραγμένα, οἷον ὑποζυγίου, τουτέοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢ παρέσονται.

Vbi per febres vrina turbantur similes iumentis, vel adest cruciatus capitis, vel aderit.

Nvnc

NVNC demõſtrat ęſtimari febres grauiores ex vrina turbida ſimili iumẽtis, in qua nihil ſidit, craſſamẽ miſcetur vrinæ, eam turbat, neque viſuntur inuicem ſeparari radicitus: deinde vrina ſimilis iumentis exalbeſcit, ideóque vitioſa eſt & valde diſſimilis ſanis. Neque mirum eſt ſi vitioſa vrina initio ſit augurium febrium quę deinceps exaſperantur, donec capiti negotium exhibeant. Cęterùm celebrantur interdum vrinę turbidæ, quæ priùs clarę manebant, nunc verò turbantur ac ferũtur ſimiles ſanis, vbi febres diutius prorogarunt. namque talis vrinæ mutatio docet corpus iam ex ſuo ſtatu febriculoſo dimoueri.

APHOR. LXXI.

Ὁκόσοισιν ἑϐδομαῖα κρίνεται, τουτέοισιν ἐπινέφελον ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρὸν, καὶ τἄλλα κατὰ λόγον.

Vbicunque finiuntur die ſeptimo, vrina die quarto continet rubram nubeculam & alia, vt ratio requirit.

His literis declarat febres morã nõ prorogare, quia intra diem ſeptimum finiuntur vbi die quarto apparent rubræ nubeculæ, pallidæ, bilioſæ, quæ nulla corporis incõmoda in lõgius tempus porrigunt. Sed Hippocrates requirit cætera ſalutis teſtimonia.

APHOR. LXXII.

Ὁκόσοισιν οὖρα διαφανέα, λευκὰ, πονηρά· μάλιστα δὲ ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνεται.

Quibuſcunque vrina dilutæ, albæ, vitioſæ exiſtunt: ſed maximè viſuntur phrenitide laborantibus.

Hoc Aphoriſmo damnat omnes vrinas claras & albas in faciem lactis: ſiquidem teſtantur intus mora rifelleam materiam, in quam ſe vertit pars alimentorum inutilis ad alẽdum, quæque non potuit percoqui. Ita bilis ſuprapoſita miſcetur intus cauſæ morbi, & quũ exaſperat. Cęterò ſubiicit deſipientes ex febre potiſsimũ reddere traditas vrinas, vbi eorum

incommoda creſcunt, aut aluus fluit vltra modum, & cuncta intendit.

APHOR. LXXIII.

Ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα, ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγενομένου, αἱ κοιλίαι πυτίοισι καθυγραίνονται, ἢν μὴ φῦσαι καταρραγέωσιν, ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ. ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα.

Quibus præcordia tument, ſtrepitum edunt, accedente cruciatu lumbor , mouetur aluus, niſi flatus excedãt, vel vrina profluit liberaliter. Cætero per febres hæc fiunt.

Hoc Aphoriſmo tradit, præcordiorũ tumores & inflationes quæ ſtrepitũ edunt, nullum terrorem incutere, ſi male habeant lumbos, & cruciẽt aluum. nãque teſtãtur corruptos humores qui deſcẽdunt aut flatus aut vrinæ profluuia, quibus tolluntur noxæ præcordiorum, & ſummouentur cuncta incommoda partium quæ viſcera continent. Cęterò febres potiſsimum negotiũ exhibent præcordiis, mouéntque tumores ſuprapoſitos.

APHOR. LXXIIII.

Ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς τὰ ἄρθρα ἀφίστασθαι, ῥύεται τῆς ἀποστάσιος οὖρον πολὺ καὶ παχὺ, καὶ λευκὸν γινόμενον, οἷον ἐν τοῖσι κοπώδεσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἄρχεται ἐνίοισι γίνεσθαι· ἢν δὲ καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἱμορραγήσῃ καὶ πάνυ ταχὺ λύεται.

Vbi abſceſſus articulorum ſunt in metu, vrina copioſa & craſſa & alba liberat abſceſſu velut per moleſtas quartanas febres quibuſdam fieri incipit: ſi verò cruores quoque naribus proruperunt, naturæ admodum reſeruantur.

His literis perſequitur abſceſſus articulorum ac eorum vitia, dolores tumoréſque, quos adferunt mali humores qui ex aliis corporis partibus euocantur ad articulos, eos cruciant, plerumque exulcerant, aut ex ſua ſede propellunt: quibus tamen ſuccurrit vrina fuſa liberaliter, craſſa & alba. ſiquidem detrahit humores

mores corruptos qui in articulos irruūt. Iure ergo ilico patent calculo & vrinæ difficultatibus quibus laborant articuli. Iam ſubiicit, interdum graues febres quartanas mouere vitia articulorum, quę deſiſtunt cōmemorato vrinæ curſu. Poſtremò ſubiicit cruenta profluuia narium ſimul cum ſuprapoſito vrinæ fluore protinus mulcere vitia articulorū: ſiquidem euocant ex articulis omnem inutilem materiam quę abſcedit, & creat inflammationes dolentes.

APHOR. LXXV.

HN αἷμα ἢ πῦον οὐρέῃ, τῶν νεφρῶν ἢ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si ſanguis vel pus eſt in vrina, ſigna ſunt vlceris renum aut veſicæ.

Hoc Aphoriſmo notat vrinam difficilem ac eius anguſtias, quæ quum reddit cruores aut pus, certum eſt vrinę emiſſaria, renes aut veſicam laborare vlcere: quúmque aliàs vomica cęterarū corporis partium prorumpit, & per vrinę canales pus fertur, mille ſentiuntur ferè anguſtiæ.

APHOR. LXXVI.

OΚόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι σαρκία μικρὰ, ἢ ὥσπερ τρίχες ξυνεξέρχονται, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται.

Quibus in vrina craſſa, corpuſcula exigua, & ſimilia capillis ſimul meiuntur, expelluntur ex renibus.

Hoc Aphoriſmo ſciungit noxas renum à veſica, necnon vtriuſque exulcerationesn. eque enim facilè ſeparantur: ſiquidem vtriuſque vlcera mouent craſſam vrinam ac eius anguſtias. nihilominus vlcera renum pellūt ſuppurata corpuſcula & caruncula exiguas, necnon minuta ramenta ſimilia capillis: ſiquidem muniuntur carniū vbertate, creant etiam uum roſiones acerbiſsimas, quę ex lūbis irrunt deorſum.

APHOR. LXXVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι πιτυρώδεα συνεξουρέεται, τουτέοισιν ἡ κύστις ψωριᾷ.

Vbi in vrina crassa furfuracea simul meiuntur, vesica scabiosa est.

Hoc Aphorismo cõplectitur desquamatã vesicã, quæque mouet vrinã difficilẽ, crassã, præditam pure aut sanguine, nec talis ferè apparet calculis vidua: deinde excernit similia foliis aut furfuri corpuscula minuta. namque tota vesica est sine carnibus, & corporatur ex tunicis, eámque ferè desquamant calculi.

APHOR. LXXVIII.

Ὁκόσοισι ἀπὸ ταὐτομάτου αἷμα οὐρέουσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίου ῥῆξιν σημαίνει.

Quibus sanguis sponte fertur urina, docet ruptam uenulam in renibus.

Nvnc metitur fortuitas sanguinis mictiones ex venula rupta in renibus. Idque facilè creant vitia mensium, aut hæmorrhoidum sine veneno, ictu, aut alia causa manifesta: verùm postremò comitãtur sæpenumero tetra vlcera renum.

APHOR. LXXIX.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ.

Vbi in vrina arenosa sidunt, vesica est calculosa.

His literis complectitur indicia vesicæ calculosæ, quæ mouet grauissimas vrinæ angustias, in ea sidit sabulum, ex renibus plerumque deuoluitur, subit vesicam, neque procedit foras, sed moratur intus, cruciat ægrotos, qui quum iter faciunt, aut equitant, solent reddere vrinas cruentas, & quandoque pus euomunt.

APHOR. LXXX.

Ἢν αἷμα οὐρέῃ, καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ὑπογάστριον, καὶ ἐς τὸ περίναιον, τὰ περὶ τὴν κύστιν πονέει.

Si sanguis & quædam concreta per vrinã eduntur, destillátque paulatim, ac dolor incidit in pubem & perinæum, circa vesicam vitium est.

His literis separat incommoda vesicæ à renibus, quia non subeũt lumbos, sed exhibent circa pubem negotium, se insinuant deorsum, & malè habent ea quibus vesica insidet.

APHOR. LXXXI.

Ἢν αἷμα καὶ πῦον οὐρέῃ, καὶ λεπίδας, καὶ ὀσμὴ βαρεῖη ᾖ, τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si sanguis & pus & squamulæ per vrinam redduntur, inéstque fœdus odor, existit augurium vlceratæ vesicæ.

Nunc metitur atrocissima vlcera vesicę, quia per vrinam detrahuntur cruores, sanies, squamulæque cum dolore ac odore fœdissimo, præsertim si sit vlcus tetrum, callosum ac diutinum. nam calculi vesicam vlcerant sine fœditate vrinarum aliquando, quibus euulsis sanantur vlcera.

APHOR. LXXXII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φῦμα φύεται, τουτέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύσις.

Vbi tubercula in vrinæ fistula nascuntur, soluuntur facta suppuratione ac ruptione.

Hoc Aphorismo persequitur remedia vrinæ difficilis quam mouent eius præclusi canales excitatis collectionibus, verrucis & carne hebeti. Porro collectiones desinunt simulatque pus ea parte profluxit: sed verrucæ & caro hebes ruptione tolluntur. Cæterùm vidimus ægrotum cuius vesicæ sinus interior

non ſuperabat humanũ pollicem.etenim caro quædam hebes vndique extrorſũ vaſtius luxuriauerat, donec ſecto cadauere nulla veſicę figura emergeret, ſimúlque ægrotus detinebatur inſigni renum ſingulorum vlcere.

APHOR. LXXXIII.

Οὔρησις νύκτωρ πολλὴ γινομένη σμικρὴν τὴν ὑποχώρησιν σημαίνει.

Mictio noctu liberalis docet parcas alui deiectiones.

HIC Aphoriſmus docet cõtrahi immodicas alui reſolutiones quæ noctu increſcebãt, quia iam ægrotis fertur vrina liberaliter, euocãtur mali humores ex aluo, potionéſque ſubeunt vrinæ emiſſaria, neque iam detrahuntur per aluum.

CLAVDII CAMPENSII MEDICI IN QVINTAM SECTIONEM APHORISMORUM HIPPOCRATIS ANNOTATIONES.

APHOR. I.

ΣΠασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου, θανάσιμον.
Ex veratro spasmus mortem adfert.

Hoc Aphorismo autor est Hippocrates medicamēta cathartica æstimari mortifera ex spasmo quem excitant, quoniam sua pernicie vires profligant sine modo, & feriunt neruos. Quum autem Hippocrates deprehenderet veratrum efficacissimum & potentissimum inter vniuersa cathartica, eius nomine exprimit medicamenta validissima, quæque timidius offerenda sunt.

APHOR. II.

ΕΠὶ τραύματι σπασμὸς ἐπιγινόμενος, θανάσιμον.
Spasmus insequens vulnera mortem adfert.

His literis declarat ictus mortiferos æstimari ex spasmo, quia neruos malè habent, debilitant potentissimas corporis partes, ac ferè nocent deficiente materia.

APHOR. III.

Αἵματος πολλοῦ ῥυέντος σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγενόμενος, κακόν.

Spasmus uel singultus subsequens liberales profusiones sanguinis, est in malo.

Hoc Aphorismo perhibet sanguinis profluuia metum incutere, vbi vi effusa cuncta præcipitāt, neruos feriunt, contrahūt & fatigant singultu, siue sponte sanguis proruperit, siue pertusa vena, aut quoquo modo eius cursus oriatur.

APHOR. IIII.

Ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγενόμενος, κακόν.

Ex immodica purgatione spasmus uel singultus subsequens uitiosus habetur.

Hoc Aphorismo persequitur intolerabiles purgationes, quia modum transcunt, vires vltra modum infirmant, feriunt neruos, contrahunt aut fatigant singultu stomachū: quæ sanè testantur immodicum virium lāgorē, quoquo modo citētur purgationes.

APHOR. V.

Ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν καθ' ἣν αἱ κεφαλαὶ λύονται, φθέγξηται.

Siquis ebrius maturè mutus est, conuulsus moritur, nisi corripiatur febre, aut uocem edat eodem tempore atque soluitur ebrietas.

Hoc Aphorismo illustrat noxas ebrietatis, vocem ocyssimè supprimit, ferit neruos, contrahit, mētémque turbat, ceu mouet morbum attonitum, in quo mens corpúsque simul stupent, premit inexpugnabili sopore, & trucidat ebrium, nisi febris ac

cedat. hæc enim elicit à tergo incōmoda temulentiæ, & neruorum vitia, dimouet corpus ab eo ſtatu quo detinetur, & liberat ebrium: vel ſaneſcit ſuapte vi ebrietate finita, & loquitur. Cæterùm ſcire licet, cūctas potiones temulentas ſuo veneno potentiſsimo mentem alienare, diſtendere neruos, ſupprimere vocem, & maturum interitum adferre, quoniam degenerāt in cruditates & corruptiones, quę deterrima corporis incommoda creant, niſi vires inualuerint, & percoquatur quicquid aſſumptū eſt, ac in bonum cibum tranſierit.

APHOR. VI.

ΟΚόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται, ἐν τέσσαρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Quos tetanus opprimit, trucidat intra diem quartum: ubi uerò hunc euadunt, liberantur.

Hoc Aphoriſmo ſignificat triplicem ceruicis conuulſionem adferre maturū interitum, quoniam ferit neruos potentiſſimos, ex ea properant cerebri mentiſque vitia, & omnia ſunt in præcipiti. Cæterò eſt dilucidū, triplicē ſpaſmū ceruicis diſiungi ſola motionis varietate. nā opiſthotomis caput ſcapulis annectit, emproſthotomis pectori mētē adhibet: tetanus autem ceruicē rectam ac immobilem intendit.

APHOR. VII.

ΤᾺ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται, μετάστασιν ἴσχει· ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Comitiales exorſi ante pubertatem commutantur, qui quum naſcuntur anno uigeſimoquinto, ferè ſimul decedunt.

Hoc Aphoriſmo declarat comitiales ſanari ſi pubertatem præcedunt. namque pubeſcentibus corpus facilè mouetur ab eo ſtatu quo laborat, vires reuale-

ſcunt,mutãtur corporis noxæ, fatiſcunt vaſtius cunċta eius emiſſaria,quibus properant omnium humorum curſus.Iam verò annovigeſimoquinto conſtitit corpus humanum, neque vires creſcunt,neque vaſtiores ſunt corporis riuuli, manéntque propemodum ſimiles corporis noxæ:tamen ſanaui comitialem cuius ætas iam erat annorum trigintaquinque.

APHOR. VIII.

ΟΚόσοισι πλευριτικοὶ γενόμενοι, οὐκ ἀνακαθαίρονται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, τουτέοισιν ἐς ἐμπύημα μεθίσταται.

Vbi laborantes latere haud purgantur intra diem decimumquartum, in ſuppurationem degenerant.

Hoc Aphoriſmo tradit vomicas concitari ex doloribus lateris qui neque per reſolutam aluum,neque per ſanguinis detractionem, neque per ſputa,neque per fomẽta,neque aliis deſinunt: æquè quoque vitia pulmonũ mouent vomicas,quia nullis aliis præſidiis vincũtur. Qúmque lateris cruciatus ſint acutiſsimi, haud prorogant moram,ſed in vomicam &aliud morbi genus tranſeunt intra diem decimumquartum, niſi per id tempus cœperit mali humoris purgatio.

APHOR. IX.

Φθίσις γίνεται μάλιστα ἡλικίῃσι τῇσιν ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα ἐτέων, μέχρι πέντε καὶ τριήκοντα.

Phthiſis maximè opprimit ab anno decimooctauo ad trigeſimum quintum.

Hoc Aphoriſmo Hippocrates ſignificat phthiſim fieri ætate firmiſſima, & ex vegetiſsimo corporis habitu,quicquum in eodem non poſsit ſubſiſtere,nec in meliorem progredi per vllam victus rationem,retrò quaſi ruina quadam reuoluitur & experitur pericula ſuorum bonorum:quoniã homines vegetiſsimi ferè magnis cruditatibus ac temulentiæ indulgent,neque

calor

caloris neque frigoris rationem habent, cubitus ſubdiales ſunt illis in deliciis, & annuis negotiis ocyſſime ſe implicant, ferúntque protinus periculoſum capitis rheumatiſmum, qui pulmones malè habet, vlcerat, & phthiſim mouet.

APHOR. X.

Ὁκόσοισι κυνάγχην διαφεύγουσιν ἐς τὸν πλεύμονα τρέπεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀποθνήσκουσιν· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ἔμπυοι γίνονται.

Quibus angina finita in pulmonem transit, intra diem ſeptimum decedunt: quem quum euadunt, ſuppurantur.

Hoc Aphoriſmo perſequitur finem anginæ periculoſum, quoniam pulmonibus incũbit, creat grauiſſima ſuſpiria & ingeſtabiles noxas pulmonum, quibus intra diem ſeptimum moriuntur ægroti. nihilominus ſi hunc effugiunt, relabuntur in ſuppurationes plerumque mortiferas.

APHOR. XI.

Τοῖσιν ὑπὸ τῆς φθίσιος ἐνοχλευμένοισιν, ἢν τὸ πτύσμα ὅπερ ἂν ἀποβήσσωσι βαρὺ ὄζῃ ἐπὶ τοὺς ἄνθρακας ἐπιχεόμενον, καὶ αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσι, θανάσιμον.

Si phthiſi laborantes edunt ſputum fœdi odoris impoſitum ignibus, & capilli fluunt, eſt mortale.

Hoc Aphoriſmo complectitur phthiſim mortiferam quia educit craſſamen purulentum ex teterrimis pulmonum vlceribus, cuius indicium eſt fœdus odor, quem efflat impoſitum ignibus. Adhæc capillus deciduus teſtatur inſanabilem corporis maciem, quæ iam non ſufficit epulas neceſſarias ad alendum, neque moratur pilos deciduos.

APHOR. XII.

Ὁκόσοισιν αἱ φθισιῶσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσιν, οὗτοι διαῤῥοίης ἐπιγενομένης ἀποθνήσκουσιν.

Quibus impeditis phthiſi capilli fluunt, moriuntur, ſi accedat liquidus uenter.

Hoc Aphoriſmo metitur teſtimonia mortis eorum qui grauiſsima phthiſi laborant, quoniam caput nudat, nec aluntur capilli, nec retinentur ex ingeſtabili macie corporis vniuerſi. Cæterùm aluo liquida properat interitus, quia exaſperantur vires infirmæ, intenditur tabes.

Aphor. XIII.

Ὁκόσοι αἷμα ἀφρῶδες ἀναπτύουσι, τουτέοισιν ἐκ τοῦ πνεύμονος ἡ τοιαύτη ἀναγωγὴ γίνεται.

Qui ſpumantem ſanguinem excreant, ex pulmonibus educunt.

Hoc Aphoriſmo Hippocrates tradit, ſpumantē ſanguinem pulmones edere. etenim ſpirando miſcetur ſanguini ſpiritus, excreatur & expumat. Iure ergo fauces vbi extuſsiunt ſanguinem ſpumoſum, eodémque modo vbi expumat qui fertur laborante dextra parte præcordiorum, ſpirantibus pulmonibus expumat. Nihilominus autor eſt Hippocrates libello coacarum prænotionū cruciatus dextræ partis præcordiorum edere ſanguinē ſpumantem ex iocinore, ſed expumat pulmonibus trahentibus ſpiritum.

Aphor. XIIII.

Ὑπὸ φθίσιος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγενομένη, θανατῶδες.

Vbi uentris reſolutio ſequitur phthiſi occupatos, eſt mortifera.

His literis declarat omnia eſſe in præcipiti, quoniam aluus mouetur laborantibus phthiſi: ſiquidem exaſperat intolerabilem maciem corporis, vires infirmat, ſimúlque protinus ſputum moratur.

Aphor. XV.

Ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γίνονται, ἢν ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν ἀφ' ἧς ἂν ἡ ῥῆξις γένηται, παύονται· ἢν δὲ μὴ, ἐς φθίσιν μεθίστανται.

Vbi

Vbi suppurantur latere laborante, atque repurgantur intra diem quadragesimum, quo ruptio orsa est, quiescunt: sin minus, in phthisim degenerant.

Hic Aphorismus est proprius doloribus lateris qui vomicas & præcordiorum collectiones excitant, ex quibus facilè quiescũt. Cæterò vomicæ lateris tutò erumpunt ac repurgantur intra diem quadragesimum: aliàs vlcerant pulmones, atque in phthisim transeunt.

APHOR. XVI.

Τὸ θερμὸν βλάπτει ταῦτα τοῖσι πλεονάκις χρεομένοισι, σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, νεύρων ἀκρατέας, γνώμης νάρκωσιν, αἱμοῤῥαγίας, λειποθυμίας, ταῦτα οἷσι θάνατος.

Caloris frequentior vsus has noxas creat, corpus languidum, neruorum hebetudinem, mentis segnitiẽ, profluuia cruenta, exanimationes, & ea quæ interimunt.

Hic Aphorismus peculiariter comprehendit balnea, fomenta, insessus, & calorem eorum omnium quæ ambiunt vel admouentur, laxant vniuersum corporis habitũ, digerũt immodico sudore, neque sunt innoxia vbi diutius hærẽt: siquidem vires infirmant, corpus prosternũt, neruos hebetãt, mentẽ infirmãt, & facilè abalienant, mouent sanguinis cursum, laxant eius semitas, exanimant, atque (vt breui loquar) excitant incommoda corporis quibus virium langores properant, & matura mors sequitur.

APHOR. XVII.

Τὸ δὲ ψυχρὸν σπασμοὺς, τετάνους, μελασμοὺς, καὶ ῥίγεα πυρετώδεα.

Frigida mouent spasmum, tetanum, nigritiem, febriculosumque rigorem.

Hoc Aphorismo perpurgat incõmoda frigoris eius quod ambit, perfunditur vel admouetur. Cæte-

rum malè habet neruos, adfert dissonas eorũ contractiones, ferit incitátque ad motus violẽtos: ęquè quoque confestim gignit vlcerũ nigritiẽ, cancrum, & graues noxas eorum quæ vlcerantur somni vi effusa. Postremò rigor insignis gignit algorẽ similem febribus incipientibus, & longè grauissimis, quæ neruos feriunt. Iure ergo repudiandus est Crinias Massiliensis, autore Plinio, quum suaderet ægros per hybernos algores frigida lauari, mersit in lacus, donec viderentur senes consulares vsque in ostentationem rigentes. Sole clarius est, psychrolusiam ex toto non debere damnari, verùm adhibeatur ex sententia Hippocratica, quoniam interdum noxia est, nec metu caret.

APHOR. XVIII.

ΤΟ ψυχρὸν πολέμιον ὀστέοισιν, ὀδοῦσι, νεύροις, ἐγκεφάλῳ, νωτιαίῳ μυελῷ· τὸ δὲ θερμὸν ὠφέλιμον.

Frigus inimicatur ossibus, dentibus, neruis, cerebro, medullæ spinæ: calor uerò præsidia est.

Hic Aphorismus conuenienter aptatur frigidæ infusæ & externo frigori, quoniam exasperant noxas dentium laborantium, extenuãt salsam pituitam & aquas cerebri quæ sorbentur calore & vaporantur, feriunt cerebrum & spinæ medullam, & quicquid fermè est sine sanguine. neque enim vincit nec mitigat frigoris iniuriam, nisi calore fuerit præditum. Adhęc algores refragãtur seni, tenui, vulneri, vesicæ, partibúsque neruosis omnibus. namque grauiter naturã impugnant, neque domantur sine calore.

APHOR. XIX.

ΟΚόσα κατέψυκται, ἐκθερμαίνειν δεῖ, πλὴν ὁκόσα αἱμορραγέει, ἢ μέλλει.

Alsiosa licet calefacere, præterquam ubi fertur sanguis, aut futurus est eius cursus.

Hic

His literis autor est Hippocrates, calida fométa & calorem impositum lenire & mulcere noxas frigoris, nisi profluxerit sanguis, eiúsue cursus timeatur. calor enim recludit riuos sanguinis, & laxat cuncta corporis spiracula.

APHOR. XX.

Ἕλκεσι τὸ μὲν ψυχρὸν δακνῶδες, δέρμα περισκληρύνει, ὀδύνην ἀνεκπύητον ποιέει, μελασμοὺς, ῥίγεα πυρετώδεα, σπασμοὺς, καὶ τετάνους.

Frigus mouet rosiones ulcerum, cutem facit duram, dolorem sine suppuratione, nigritiem, rigorem febriculosum, neruorum distentionem, atque tetanum.

Hic Aphorismus videtur priuatim cadere in externos algores & frigidas perfusiones vlcerũ: siquidem vniuersa eorum incõmoda recrescunt admoto frigore, duratur cutis, & cogitur in callum, inhibetur suppuratio quæ mitigat omnes vlcerum dolores, cancri nascuntur, ceu nigrities partiũ vlceratarũ, ægroti rigent, horrent iuxta ac febre laborantes, neruos contrahunt, laborant tetano & ceruicis conuulsionibus longè perniciosissimis. siquidem frigus exasperat noxas materiæ quæ rigat vlcera, nec eam dissoluit, sed moratur.

APHOR. XXI.

Ἔστι δὲ ὅκου ἐπὶ τετάνου ἄνευ ἕλκεος νέῳ εὐσάρκῳ θέρεος μέσου, ψυχροῦ πολλοῦ κατάχυσις ἐπανάκλησιν θέρμης ποιέεται· θέρμη δὲ ταῦτα ῥύεται.

Nonnunquam frigida infusa liberaliter iuueni pleni corporis per æstatem mediam propter tetanum sine ulceratione calorem reuocat: adhæc calore soluitur.

Nunc celebrat perfusiones frigidas, quia interdũ leuant pestiferas conuulsiones & succurrunt triplici ceruicis spasmo: siquidem prouocant calorem, sunt

in deliciis, recreántque vires ferè malo victas: deinde vaporatur labes humorum qui neruos feriunt & torpore opprimunt hominem. nihilominus Hippocrates requirit iuuenē pleni corporis qui non emacruerit vltra debitū, cuius firma sunt omnia, & protinus recreantur infusionibus frigidis: verùm senes ac tenues sunt viribus infirmis, quæ ocyssimè premuntur noxis frigoris, nec eius iniurias facilè sustinent. Deinde requiritur æstas media & longè flagrantissima, cuius ardores subinde mulcent cuncta frigoris incommoda quæ instare solent: profundit etiamnum frigidam liberalius, quò futura sit efficacior & validior. Similiter Celsus autor est, caput infirmum per æstatem esse subiiciendum quotidie venę largo canali, & rigādum frigida vt inualescere possit, & seruari doloribus quibus patet.

APHOR. XXII.

Τὸ θερμὸν ἐκπυητικὸν οὐκ ἐπὶ παντὶ ἕλκει, μέγιστον σημεῖον ἐς ἀσφαλείην, δέρμα μαλάσσει, ἰσχναίνει, ἀνώδυνον, ῥιγέων, σπασμῶν, τετάνων παρηγορικόν· τὴν δὲ ἐν τῇ κεφαλῇ καρηβαρείην λύει. πλεῖστον δὲ διαφέρει ὀστέων κατάγμασι, μάλιστα δὲ τοῖσιν ἐψιλωμένοισι· τουτέων δὲ μάλιστα τοῖσιν ἐν κεφαλῇ ἕλκεα ἔχουσι, καὶ ὁκόσα ὑπὸ ψύξιος θνήσκει ἢ ἑλκοῦται, καὶ ἕρπησιν ἐσθιομένοισιν, ἕδρῃ, αἰδοίῳ, ὑστέρῃ, κύστει, τουτέοισι τὸ θερμὸν φίλιον καὶ κρεῖνον· τὸ δὲ ψυχρὸν, πολέμιον καὶ κτεῖνον.

Calor non mouet suppurationes omnium ulcerum, præstantissimum securitatis indicium est, cutem mollit, extenuat, dolorem mulcet, iuuat rigorem, spasmum, tetanum, soluit capitis grauitatem. Adhæc plurimum pollet ossibus fractis, maximéque ubi nudantur, præsertim ulceribus capitis, ac ubi frigus mortem adfert, ulcerátue, serpitque sacer ignis sedi, uerendis, utero, uesicæ. hisce omnibus calor est familiaris & iudicat: frigus autem inimicatur atque interimit.

HIC Aphorismus priuatim illustrat balnea, fomenta, & calorem eorum quæ ambiunt, vel admouētur. In pri-

In primis tradit calorem non mouere omnium vlcerum ſuppurationes: ſiquidē cancri, carcinomata, tetráque vlcera huius generis repudiant omnem ſuppurationem, quam mouet calidum impoſitum, atque exaſperat vlcerum traditorum incommoda, & omnē cancri perniciem: nihilominus caloris auxilium & inchoata ſuppuratio deprehēditur ex cute molli, tenerrima, tenuiſſima & ſine dolore. hæc enim docent quieſcere labem humorum qui rigant vlcera & malè habēt. Adhæc calor iuuat perniciosiſſima neruorum incommoda. namque diſſoluit corruptam materiam quæ ferit neruos, extenuat & vaporare ſolet: deinde fomentis & calore impoſito leuatur capitis grauitas, cruciatus, fatiſcant eius canales, recluduntur pulmonum ſpiracula, educitúrque ſputum tolerabiliter: prodeſt etiamnum omnibus oſſibus fractis foueri per ſpongiā vapore aquæ calidę, potiſsimū vbi nudātur. admotus enim calor dolorem mitificat. Quúmque perfuſa caluaria caput vlcera tētant, opus eſt ægrotū in loco tepido collocare, ne dolor aliquis ſubeat fracturā, aut ne mali deterioris metus aliquis inſequatur. Calor quoque protinus ſuccurrit noxis frigoris externi: ſi verò ſacer ignis exoriatur, & vlcera mediocriter ſerpunt, aqua calida: ſi vehementius, vino calido fouenda ſunt. Cæterò appoſitus calor iuuāt incōmoda ſedis, verēdorū, vuluæ, & veſicæ: ſiquidem eius & naturæ magna eſt ſocietas, recreátque partes exangues, quæ protinus frigore fatigantur.

APHOR. XXIII.

ΕΝ τουτέοισι δὲ δεῖ τῷ ψυχρῷ χρέεσθαι, ὁκόθεν αἱμοῤῥαγέειν μέλλει, μὴ ἐπ' αὐτὰ ἀλλὰ περὶ αὐτὰ ὁκόθεν ἐπιῤῥεῖ· καὶ ὁκόσαι φλεγμοναὶ ἢ ἐπιφλογίσματα ἐς τὸ ἐρυθρὸν καὶ ὕφαιμον ῥέποντα νεαρῷ αἵματι, ἐπὶ ταῦτα. ἐπεὶ τά γε παλαιὰ μελαίνει, καὶ ἐρυσίπελας τὸ μὴ ἑλκούμενον ὠφελέει ἐπεὶ τό γε ἑλκούμενον βλάπτει.

Per hæc licet uti frigore, ex quibus cruores manant, aut sunt profusuri non supra, uerùm circa ipsas partes quibus feruntur, necnon ubi inflammationes uel incendia declinant ad rubrum & subcruentum calorem recenti sanguine, supra licet frigus imponere. Nihilominus seniora negritie affligit, uerùm erysipelas sine ulcere iuuat, & ulcerata offendit.

Hic Aphorismus peculiariter agit de frigore admoto, & perfusionibus frigidis. Initio tradit, noxias sanguinis ꝓfusiones mitigari frigida infusa circa partes quæ sanguinem reddunt, quandoquidem intercludit eius spiracula, repellitque sanguinis fluxũ, frigus autem malè habet partes vlceratas, offendit cruẽtos ictus, vexátque reclusos canales qui sãguinẽ sudant. Præter hæc frigidæ aspergines sunt præsidio inflammationibus ac incendiis partium quæ rubescunt, perfusæ sanguine recenti. nam molliunt virus & acrimoniam materiæ inflammatæ, extingunt ardores igneos, & hominem recreãt. Quúmque suprapositæ inflammationes ac incẽdia in vetustatẽ inciderunt, nigrescũt frigida infusa, delabuntur in cancrum & grauissimam corruptelam. namque frigore admoto crescit labes humorum, nec iuuantur vires partium diutius laborantium iam victæ malo vetustissimo: deinde subiicit erysipelata ac rubores qui cũ dolore procedunt, iuuari frigida perfusione, nisi vlcera accesserint, quibus frigus noxium est.

Aphor. XXIIII.

Τὰ ψυχρὰ οἷον χιὼν, καὶ κρύσταλλος τῷ στήθει πολέμια, βηχέων κινητικά, αἱμοῤῥοϊκά, καταῤῥοϊκά.

Algida similia niuibus & gelu inimicantur pectori, tussim concitant, sanguinem fundunt, mouéntque destillationes.

Hoc Aphorismo disserit de algore grauissimo circumdati spiritus, ac eorum quæ ambiunt vel apponuntur, & nonnunquã deglutiuntur. Tradit autẽ

algida

algida ſimilia gelu ac niuibus, quorum frigus exiſtit vehementiſsimum: quæ quum deuorātur ſpiritu, eſu, potione, ſunt in venenis (velut autor eſt Dioſcorides) tanquam nix & glacies noua. namque reluctātur pectori, malè habēt pulmones, potiſsimū ſuapte natura anhelosſos, quos præſertim recreant calida boni odoris & ſaporis: deinde faucibus negotium exhibēt: creant tuſsim ex offenſa pulmonum. Iure ergo raucus perhibetur aquilo ſuo inſigni frigore. Præter hæc algores acerbiſsimi ſimiles gelu vitiant ſanguinem, cogunt protinus in ſtrigmenta, ruítque adapertis eius ſpiraculis. Poſtremò frigora atrociſsima ſe inſinuant in penitiſsimos cerebri canales, & deſtillationes concitant.

APHOR. XXV.

ΤΆ δὲ ἐν ἄρθροισιν οἰδήματα καὶ ἀλγήματα ἄτερ ἕλκεος, καὶ ποδαγρικὰ, καὶ σπάσματα, τουτέων τὰ πλεῖστα τὸ ψυχρὸν πολὺ καταχεόμενον ῥηΐζει τε καὶ ἰσχναίνει, καὶ ὀδύνην λύει. Νάρκη γὰρ μετρίη ὀδύνης λυτική.

Articulorum tumores ac dolores ſine ulcere, qui & pedes fatigāt, & neruos diſtendunt, perſæpe frigida infuſa liberaliter mitificat & extenuat, ſoluitque dolorem. nam mediocris torpor dolorem liberat.

Hoc Aphoriſmo celebrat frigidas perfuſiones, quia ſuccurrunt vitiis articulorum, doloribus ac tumoribus ſine vlcere qui mouent podagram & contrahunt neruos: ſiquidem concitantur ex corruptis humoribus qui euocantur ex internis viſceribus, atque ex vniuerſo corporis habitu, ſubeunt articulos, eos cruciant, mouēt interdum collectiones, nonnunquā melicerias & vlcera grauiſsima. Iure ergo nunc autor eſt Hippocrates, ſuprapoſita vitia articulorum ſine vlcere iuuari frigidis perfuſionibus quæ ſint liberales. nam repellunt impetus materiæ corruptæ, aliò regerunt humorum curſum, firmāt articulos languidos, & conuulſionibus ſunt auxilio. Deinde reddit

causam cur frigida infusa dolorem tollit. quoniam habetat sensus, nec afficitur dolore. Cætero mens erectior est circa sensum frigoris, neque eo percepto dolorem fermè intuetur.

APHOR. XXVI.

Ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον καὶ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον.

Aqua maturè calida, frigidaque maturè nascitur leuissima.

Hoc Aphorismo persequitur testimonia aquæ leuissimæ, purissimæ, & viduæ omnibus noxis. Hæc autem ocyssimo calore & frigore mutatur, neque profert alienam vllam rem quæ inhibeat eius præcipites mutationes. Etenim quandoque fontes scaturiunt ex palude & locis continentibus metalla, sale, alumine & sulfure plenis, quorum aqua epota noxia est: neque quicquam emergit aqua mutabilius, siquidem elementi vim habet. Neque sunt in pretio qui aquas perhibent naturaliter algidas, quoniam haud facilè tollitur qualitas naturalis sine interitu subiecti. Porro aqua purissima pondere fermè leuior est, atque in ea celeriter legumina percoquuntur. Cuius incommoda demonstrantur odore & sapore. nã aquæ puræ suus sapor est, velut lacti sapor est peculiariter donatus dissimilis cæteris. Idcirco vix celebrari possunt qui nullum saporem aquæ tribuunt. eius enim sapor est alius à cæteris saporibus rerum mistarum.

APHOR. XXVII.

Ὁκόσοισι δὲ πιεῖν ὀρέξιες νύκτωρ, τοῖσι πάνυ διψῶσιν ἢν ἐπικοιμηθῶσιν, ἀγαθόν.

Qui nocturnæ potionis sunt auidi, urgente inexpleta siti si indormiant, numeratur in bonis.

Hoc Aphorismo celebrat somnum qui accedit noctu admodum siticulosis, quoniã mulcet inexpletam sitim ac intempestiuam, quam subinde creant humores corru-

res corrupti qui conduntur intus, & in febrem ocyssimè degenerant: aut sitim intolerabilem mouet cruditas escarũ & earum labes, incutitque metum noxę grauissimæ: nihilominus somnus firmat vires, discutitque cuncta corporis incōmoda quæ abscōduntur, & incutiunt terrorem.

APHOR. XXVIII.

Γυναικείων ἀγωγὸν ἡ ἐν ἀρώμασι πυρίη· πολλαχοῦ δὲ καὶ εἰς ἄλλα χρήσιμον ἂν ἦν, εἰ μὴ καρηβαρίας ἐνεποίει.

Suffitus aromatum muliebria ducunt: sæpe etiamnum aliàs iuuant nisi mouerent capitis grauitatem.

HOC Aphorismo autor est Hippocrates, mulieres vuluæ causarias, quibus vagatur vterus, procedit, nec firmus est, nec suis mensibus liberatur vt decet, iuuari suffitu aromatum, quorum vires simul cum vapore se insinuant in penitissimos locorum meatus, & sunt præsidio mulieribus. neque enim excogitari possunt remedia aptiora vuluę, quæque subeāt intus abditas eius cauitates ocyus quàm suffimenta. Deinde perhibet, suffitus aromatum aliàs proficere: siquidem contrahunt immodicas ventris resolutiones, mórantur capitis rheumatismum, atque vlcera tetra ad sanitatem perducunt, nihilominus malè habent caput, onerántque potissimum vbi naturaliter infirmum est. Sanè haud dubio argumento coniectandum est his literis, muliebria notare locos mulierum quibus suffimenta sunt commodissima.

APHOR. XXIX.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν ἧσσον· τὰ δὲ νήπια καὶ πρεσβύτερα εὐλαβεῖσθαι.

Grauidas medicari licet mense quarto ad septimum usque, si turgent, hæ verò minus: tamen fœtus iuniores ac seniores metum incutiunt.

Hvnc eundẽ Aphoriſmum perpurgauimus initio quartæ ſectionis. Cæterùm Hippocrates agit de medicamentis catharticis,quæ vix ſuſtinent grauidæ ante quartum mẽſem,neque vbi iam adeſt ſeptimus menſis. ſiquidem cathartica dimouent corpus ab eo ſtatu in quo eſt, agitántque vterum & quod intus hæret, ídque ſubinde decutiunt ſi ſit iunior aut ſenior ætas.nam ſuo inſueto & violento pulſu facilè lacerat tunicas tenerrimas quibus intus continetur:itémque ſi ſit ſenior,mouetur potentius, & diſcutit eaſdem tunicas etiam validiores. Nihilominus licet interdum medicari prægnantes, vbi premuntur morbis periculoſis,neque inſignis eſt mammarum marcor, quoniam teſtatur fœtum infirmum.

APHOR. XXX.

Γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, καὶ μᾶλλον εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον.

Grauida mulier laborat abortu,adhibita uenæ ſectione, eòque citius quo grandior fœtus eſt.

His literis interdicit venæ pertuſæ, vbi vterus plenus eſt,quoniam ſorbet eſcam neceſſariam ad fœtum alendum, ac eum macie conficit. Nihilominus vbi ſanguis vltra modum corruptus eſt, non tuetur fœtum,atque tutò detrahitur.Iure ergo autor eſt Celſus,antiquiſsimos medicinæ profeſſores ſibi perſuaſiſſe, mulierem grauidam quæ eſſet curata venæ ſectione,eſſe facturã abortum:poſtea verò vſus oſtendit,nihil ex his eſſe perpetuum, aliáſque potiores obſeruationes adhibendas eſſe,ad quas curantis conſilium dirigitur. Intereſt enim non quæ ætas ſit,neque quid in corpore intus geratur,ſed quæ vires ſint,quæ labes humorum, quæ ſit natura ſuperuacua. Ergo grauida mulier valens tutò venæ ſectione curatur,neque in eo medicus falli poteſt, ſi vires prægnantis poſt curationẽ neceſſarias ad eam alendum ſuſtinendúm

que partum cõſeruet: ſi verò laborauerit materia deficiẽte, metum incutit ſanguis fuſus: verùm prægnãtibus fermè ſanguis liberalius corrumpitur.

APHOR. XXXI.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ὑπό τινος τῶν ὀξέων νουσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον.

Vbi grauida mulier morbo quodam acuto corripitur, eſt mortis teſtimonium.

His literis notat morbos acutos ac intolerabiles grauidis adferre interitus periculum, quoniam excitant immodicos virium lapſus, intendúntque prægnantium nimiam infirmitatem.

APHOR. XXXII.

Γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ, τῶν καταμηνίων ῥαγέντων λύσις γίνεται.

Sanguis per uomitum fuſus mulieribus liberatur menſtruo fluore.

Hoc Aphoriſmo declarat, menſtrua profluuia liberare fœminas vomitu cruento: ſiquidem euocat ex locis ſuperioribus ſanguinem corruptum, & eius nimiam abundãtiam, & corpora abducit ab eo ſtatu quo detinentur.

APHOR. XXXIII.

Γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλιπόντων, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι, ἀγαθόν.

Cruenta narium profluuia bona ſunt menſibus remoratis.

Hoc Aphoriſmo commendat cruentas effuſiones narium, ſi ſint ſuppreſsi menſes: ſiquidem extrahunt incommoda ſanguinis quæ remoratis menſibus fieri ſolent, deinde euocant ex vtero omnem perniciem, & fœminas liberant.

APHOR. XXXIIII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ ῥυῇ, κινδυνεύσει ἐκτρῶσαι.

si mulieri grauidæ aluus moueatur liberaliter, abortus periculũ subest.

Hoc Aphorismo metitur abortus pericula ex copioso ventris profluuio, quoniam protinus recludit interna vuluæ spiracula, allicítque ad excutiendum quicquid intus est, & cuncta inferiora malè habet.

APHOR. XXXV.

Γυναικὶ ὑπὸ ὑστερικῶν ἐνοχλουμένῃ ἢ δυστοκούσῃ, πταρμὸς ἐπιγενόμενος, ἀγαθόν.

Vbi sternutamentum incidit in laborantes vulua vel arduo partu, est in bonis.

Hoc Aphorismo autor est Hippocrates, vuluæ strangulatus difficilémque partum iuuari sternutamento subsequẽte: siquidem recreat exanimationes, excutit fœtus, firmat & acuit sensuum hebetudinem. Cæterò sternutamentum valde noxium est vbi destillationes capitis vrgent, etenim crescunt accedente sternutamento.

APHOR. XXXVI.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἄχροα, καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ αἰεὶ γινόμενα, καθάρσιος δεῖσθαι σημαίνει.

Mensium mali colores, quique haud eodem modo assiduè exoriuntur, denunciant necessariam esse purgationem.

Hoc Aphorismo declarat purgationem requiri vbi menses fluunt tetri coloris, & qui peruarius sit, nec iugiter subsimilis. namque testatur intus subesse magnam ac variam labem humorũ qui mali grauioris incutiunt metũ nisi detrahãtur: sin autem parcè fertur malus color mensium, plerumque liberat hominem intolerabili aliqua pernicie, & exigitur tolerabiliter, nec requirit medicationes.

APHOR. XXXVII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν οἱ μαζοὶ ἐξαίφνης ἰσχνοὶ γίνωνται, ἐκτιτρώσκει.

si pregnantium mammæ subitò emacrescunt, incurrunt in abortum.

Hoc

Hoc Aphorismo metitur auguria futuri abortus ex ocyssimo marcore mammarum. rigent enim iugiter vbi inualescit id quod intus est: siquidem magna est familiaritas locorum & mammarũ, quia mãmæ fœtus editos alunt, quos intus locis abscondi & pariter nutriri certum est, quoad maturuerint. Ideóque ex mammis flaccidis & macilentis deprehendimus lãgorem fœtus periculosum. Cæterùm requirit ocyssimam mammarum maciem, quę sit inuisa ac insueta priusquam plenus foret vterus.

APHOR. XXXVIII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ὁ ἕτερος μαζὸς ἰσχνὸς γένηται, δίδυμα ἐχούσῃ, θάτερον ἐκτιτρώσκει· καὶ ἢν μὲν ὁ δεξιὸς ἰσχνὸς γένηται, τὸ ἄρσεν, ἢν δὲ ὁ ἀριστερὸς, τὸ θῆλυ.

Si emacrescit altera mamma grauidarum quæ gerunt gemines partus, alter abortu periclitatur: si dextra, mas: si sinistra, fœmina.

Hoc Aphorismo docet mammas tenues & flaccidas fieri certissimum abortus indicium: ideóque vbi partus est geminus, marcor alterius mammæ denuntiat alterius fœtus immodicũ langorem, ac eius abortum metuẽdum esse, quoniam mammæ iugiter rigent, súntque duriusculæ vbi fœtus firmus est, ac intus inualescit. Cęterò dixit fœminã periclitari abortu, si mamma sinistra parte marcet, ac intus continetur fœtus fœmineus. nam fœminæ conduntur parte vteri sinistra vt inualidiore, & nascuntur ab infirma genitura, quam potissimum sufficit sinistra pars.

APHOR. XXXIX.

Ἢν γυνὴ μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκυῖα γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε.

Vbi lac fertur mulieribus nec puerperis, nec vtero plenis, à mẽstruis defectæ sunt.

Hoc Aphorismo persequitur causam lactis cur profluit mulieribus sine edito fœtu & absque vtero grauido. Cæterùm perhibet menses remorari, exaresce

re vuluã lacte fuso, ac sorbere eius fluores naturales: siquidem lac solo candore à sanguine disiungitur. fit enim mammis sanguinem sorbentibus & exhaurientibus, quem deinceps reddunt album. Idcirco nutrices non implicantur ferè menstruis profusionibus: tamen Hippocrates nunc visus est mulieres decorauisse, nequis existimaret eas sua puerperia iugulauisse, vbi lac reddunt.

APHOR. XL.

Γυναιξὶν ὁκόσῃσιν ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα συστρέφεται, μανίην σημαίνει.

Vbi mulieribus cruores mammis cumulantur, furorem denuntiant.

HOC Aphorismo notat mammas suffusas cruore qui crudas mouet collectiones, ac vbi labes sanguinis in mammas irruit. Porro concitat rosiones & cruciatus sæuissimos, ex quibus mulieres in furorem efferantur. nam donatus est sensus acerrimus mammis.

APHOR. XLI.

Γυναῖκα ἢν θέλῃς εἰδέναι εἰ κύει, ἐπὴν καθεύδειν μέλλῃ, μελίκρητον δίδου πιεῖν, κἢν μὲν στρόφος ἔχῃ περὶ τὴν γαστέρα, κύει· ἢν δὲ μή, οὐ κύει.

Si vis internoscere prægnantem, quum incœnatò dormitura est, potio aquæ mulsa exhibeatur: sin autem rosiones ventrem detinēt, prægnans est: sin minus, non est prægnans.

HIS literis perpurgat certa testimonia grauidarum, ne frustrentur vtero pleno: dignoscūtur autem datis vreticis potionibus, quæ sine vlla noxa vrinam pellunt: cuius generis perhibetur mulsa Ruthenica condíta lupullis instar ceruisiæ, vt molliant insignē mellis fatuitatem: ea sanè lautissima sorbetur, quam persæpe antepofui vino Vngarico potentissimo & suauissimo, in Rusia quum essem. Cæterùm mox representat vinum album, dulce ac recēs, nūc rufescit, aliàs rubore suffunditur: modò cōdítur gratissimis aromatis, & perdiu seruatur pro annuo potu. Sæpe etiamnum epulãdo cum Ruthenis sum vsus mulsa seniore

niore annis triginta, vtique gratiſsima aclongè efficaciore vino potentiſsimo. Cæterùm mulſa epota obiter detrahit vrinam, potiſsimū vbi eius vſus inſuetus eſt: deinde motu pellit vuluā & quod intus eſt, éxque eo mulieres ſentiunt tolerabiles roſiones alui ac impulſum fœtum. Tamen Hippocrates vult mulieres inœnatò ſorbere mulſam, quandoquidem ieiunis fœtus motiones ilico properant: deinde requirit tempus nocturnum, quia tranquillius eſt & paratius ad exaſperanda cūcta corporis incommoda. Quúmque potiones idoneę ad extrahendas vrinas neque concitant tolerabiles roſiones alui, neque intus puerperia mouent, ſignum eſt nihil vtero contineri. Cæterò Galenus turpiter peccat. ratus enim eſt mel aluum torquere aut flatibus, aut inflatione concitata. nam Rutheni quotidie indulgent mulſæ potionibus ſine vllis incōmodis alui. Nemo certè negat, mel impurum nec defæcatum includere ſtercoraceas apum fæces, mucoſas ac ſordidas, quibus ſumptis aluus ocyſſimè cruciatur.

APHOR. XLII.

Γυνὴ ἔγκυος εἰ μὲν ἄρρεν κύει, εὔχρους ἐστίν· ἢν δὲ θῆλυ, δύσχρους.

si grauida marem concepit, bene coloratur: ſi fœminā, eſt mali coloris.

Hoc Aphoriſmo autor eſt Hippocrates, bonum ac vegetum colorem grauidarum denuntiare fœtus maſculos, quoniam teſtatur mulieres firmi corporis, quǽque reddunt maſculam genituram: deinde oſtendit locos efficaciſsimos ac potentiſsimos ad concipiendum, fœtúſque gerendos, quum iam grauidi nequeant matrem decolorare: vterus autem validiſsimus emetitur mares: ſi verò fœmineus fœtus eſt, fuſa eſt modò fœminea genitura ac inualidior, atque facies inſignitur quibuſdam propemodum maculis.

rumque impediuntur mulieres corpulentiæ mediocris, quas nec tabes cóficit, nec ſagina onerat: nihilominus currunt in abortũ ſecũdo ac tertio mẽſe ſine cauſa manifeſta. neq. enim ex ſublimi deuolutis, neq; percuſſis, neque datis pharmacis, neque alia cauſa euidenti fœtus decutiũtur: ſed mali humores ac mucoſi ſubeunt vuluæ ſpiracula, luxántque ſinus vel acetabula quibus fœtus alligantur, nec eos grandiores poſſunt continere: rumpuntur ergo, & excutitur quicquid intus eſt. Porro mulieres huius generis laborãt protinus candido vuluæ fluore. namque ex cerebro ac toto corpore euocatur pituita ferè omnis, atque irruit in vuluam.

APHOR. XLVI.

Ὁκόσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἐοῦσαι μὴ ξυλλαμβάνουσιν ἐν τῇ γαστρὶ, ταύτῃσι τὸ ἐπίπλοον τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ἀποπιέζει, καὶ πρὶν ἢ λεπτυνθῶσι, οὐ κύουσιν.

Quæcunque præter naturam craſſæ non fiunt vtero grauido, earum omentum os vlceri comprimit, nec prægnantes emergunt priuſquam ſint extenuatæ.

NVNC explicat cauſas quamobrẽ mulieres ſterileſcunt propter nimiam ſaginam corporis: ſiquidem inſtruuntur omento valde obeſo, eóque premitur & aſtringitur os vuluæ, neque fatiſcit in coitu, vbi fertur vrina genitalis. Idcirco licet extenuare traditam ſaginam, vt laxentur cuncta vuluæ ſpiracula.

APHOR. XLVIII.

Ἢν ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γενέσθαι.

Si vterus coxis incumbens ſuppuratur, neceſſariũ eſt fieri linamenta.

HOC Aphoriſmo perhibet tutiſsima præſidia vuluæ vlceratæ. Deprehenditur autem quia malè habet coxas, mouet dolores & bubones inguinis, necnon ex inguine febriculas, neque cauſa apparet. Nihilo-

minus iuuant linamenta, iniectiones, & quicquid inditur intus conditis vlceribus.

APHOR. XLVIII.

Ἔμβρυα, τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσι μᾶλλον.

Fœtus mares dextris locis, fœminæ sinistris magis insident.

Hoc Aphorismo tradit, sexum masculum magis oriri dextra vteri parte, quoniam est validior ac potentior, paratiórque ad suscipiendam genituram masculã. Idcirco siue iam vlcera desierunt, siue adhuc insunt sinistra parte, mares fieri solẽt. hæc enim fundit ferè genituram fœmineam.

APHOR. XLIX.

Ἐς ὑστερέων ἐκπτώσιας πταρμικὸν ἐπιθεὶς ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα.

Inditis sternutamẽtũ mouẽtibus prehenduntur os ac nares ad excutiendum partus reliquias.

Hoc Aphorismo illustrat tutissimum præsidium fœminarum, quibus intus restitant secundæ & reliquiæ partus. nam medicamenta mouentia sternutamentum citant potentissimas cerebri vires, nec obturatis ore ac naribus remittit cerebrum pulsum, sed vi quadam mouet inferiora, discutitque noxia onera vuluæ. Porro cerebrũ fruitur spiritu externo adapertis ore ac naribus, & liberatur cunctis incommodis eorum quæ mouent sternutamentum.

APHOR. L.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἢν βούλῃ ἐπισχεῖν, σικύην ὡς μεγίστην πρὸς τοὺς τιτθοὺς πρόσβαλλε.

Si vis mulieribus menses supprimere, cucurbitulam quam maximam circa mammas aptato.

Hoc Aphorismo complectitur tutissima præsidia immodicæ profusionis mensium. Porro euocantur ex

tur ex locis ſimulatque vaſtiſsima cucurbitula ſubtus mammas aptatur, eodem ferè modo lactis vbertas menſes cohibet. eſt enim magna familiaritas vuluæ & mammarum.

APHOR. LI.

Ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσι, τουτέων τὸ στόμα τῶν ὑστερέων συμμέμυκεν.

Quibuſcunque grauidis, os vuluæ intercluditur.

Hoc Aphoriſmo illuſtrat ſigna prægnantium. porro deprehenditur ex locis ſitientibus poſt concubitum, qui nequaquam reuomunt virilem genituram, ſed præcluduntur, donec ſpiritus aromatũ quæ deorſum vaporantur, haud ſubeãt penitiſsimos vuluæ canales. Nihilominus certũ eſt grauidis hiare os vuluæ vbi nouere coitum, & eius ſunt auidiores, aliàs nõ ſuperfœtaret mulier. Cæterò repudiãdi ſunt qui diuinant grauidas ex vrinis & coniecturis pleriſque vanis ac irritis.

APHOR. LII.

Ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ γάλα πολὺ ἐκ τῶν μαζῶν ῥυῇ, ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον σημαίνει· ἢν δὲ στερεοὶ οἱ μαζοὶ ἔωσιν, ὑγιεινότερον τὸ ἔμβρυον σημαίνει.

Si mulieri grauidæ lac ex mammis profluit liberaliter, denuntiat fœtum infirmum: ſin autem mammæ duræ fiunt, docent fœtus magis ſanos.

Hoc Aphoriſmo metitur fœtus languidos ex vbertate lactis: ſiquidem auertit ex vtero ſanguinem qui fœtum intus ſuſtinet ac tuetur: vbi verò mammæ ſunt duræ aut rigidæ, nec marcent lacte fuſo, demonſtrant fœtus potentiſsimos. Nemo negat lac parcius fuſũ ferè ſine vlla noxa: ſi verò fertur liberalius, conſumítque marcore mammas, incutit terrorem. Cęterò mulieri ante ſeptimum menſem profuſum lac inutile: ab eo mẽſe quo vitalis eſt fœtus, ſalubre, Plinio.

APHOR. LIII.

Ὁκόσαι διαφθείρειν μέλλουσι τὰ ἔμβρυα, ταύτῃσιν οἱ τιτθοὶ ἰσχνοὶ γίνονται· ἢν δὲ πάλιν σκληροὶ γένωνται, ὀδύνη ἔσται ἐν τοῖσι τιτθοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσιν ἰσχίοισιν, ἢ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσι γούνασι, καὶ οὐ διαφθείρουσιν.

Vbi sunt futuræ fœtus corruptiones, mammæ tenues fiunt: sin autem rursus indurantur, dolor vrgebit mammas, vel coxas, vel oculos, vel genua, neque fœtus vitiabitur.

Hoc Aphorismo denuntiat in futurum abortus aut fœtus corruptos, quia mammæ marcēt aut flaccescunt. id enim signum est cùm fœtus tum locos hebescere propter naturalē mutuámque familiaritatē vuluæ & mammarum: sin autem redeat mammarum durities, testatur incommoda vuluæ fœtúsque aliò euocari: quæ quum incumbūt oculis, aciem hebetant atque mouent lippitudinem: vbi verò subeunt mammas, adferunt cruciatus sæuissimos. Porro nonnunquā malè habent coxas, genua, aut alias prægnantium partes, sed ocyssimè liberatur vterus.

APHOR. LIIII.

Ὁκόσῃσι τὸ στόμα τῶν ὑστερέων σκληρόν ἐστι, ταύτῃσιν ἀνάγκη τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ξυμμύειν.

Quibus os vuluæ durum est, præcluditur necessario.

Hoc Aphorismo autor est Hippocrates, callosa tubercula oris vuluæ, necnon tumores duros deprehēdi ex eius præclusionibus, atque vbi committuntur inuicem labra stomachi & eius fastigia, quatenus genitalis vrina haud possit insinuari in penitissimos locorum sinus.

APHOR. LV.

Ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσαι ὑπὸ πυρετῶν λαμβάνονται, καὶ ἰσχυρῶς ἰσχναίνονται ἄνευ προφάσιος φανερῆς, τίκτουσι χαλεπῶς καὶ ἐπικινδύνως, ἢ ἐκτιτρώσκουσαι κινδυνεύουσιν.

Quæcunque gerentes vterum febribus corripiuntur, necnon valde extenuantur

tenuantur sine causa manifesta, enituntur cum difficultate & periculo, vel periclitantur abortu laborantes.

Hoc Aphorismo tradit fore arduos enixus & periculosum abortũ, quia prægnantes febre corripiũtur, simúlque vehemẽter tabescunt sine causa manifesta, quas neque insueta ieiunia, neque intolerabiles animi perturbationes, aut alia causa euidẽs macie consumit, tollít ve ciborum auiditatem: sed atrox febris & abdita corporis incommoda hebetant corporis refectionem, vires infirmãt, excitant arduos enixus abortúsque pericula.

APHOR. LVI.

Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ λειποθυμίη ἢν ἐπιγένηται, κακόν.

Ex fluore muliebri spasmus & exanimatio subsequẽs in malis numeratur.

Hoc Aphorismo perhibet nocere locorum profluuia vbi neruos contrahunt, & hominem exanimant, viribus sine modo prostratis.

APHOR. LVII.

Καταμηνίων πλειόνων γινομένων νοῦσοι ξυμβαίνουσι, καὶ μὴ γινομένων ἀπὸ τῆς ὑστέρης ξυμβαίνουσι νοῦσοι.

Mensibus liberaliter fusis morbi nascuntur: qui quum haud emergunt ex vulua oriuntur morbi.

Hoc Aphorismo autor est Hippocrates, liberales mensium profusiones concitare morbos, quia vires infirmãt, hebetántque interna viscera: qúũque menses restitãt, sequũtur noxæ corporis, quibus succurrit menstrua profusio: ideóque per id tempus vulua est causa morborum.

APHOR. LVIII.

Ἐπὶ ἀρχῷ φλεγμαίνοντι καὶ ἐπὶ ὑστέρῃ φλεγμαινούσῃ, καὶ ἐπὶ νεφροῖσιν ἐμπύοισι στραγγουρίη ἐπιγίνεται· ἐπὶ δὲ ἥπατι φλεγμαίνοντι, λὺγξ ἐπιγίνεται.

Ano & vulua inflammatione laborantibus, renibusque purulentis sequitur stranguria: verùm inflammato iecinore singultus emergit.

Hoc Aphorismo perhibet testimonia inflammationum podicis, iocinoris, ac vuluæ, quæ difficiliter sæpenumero cõprehenduntur: mouẽt etiamnum ferè vlcera tetra & periculosas suppurationes. Nihilominus inflammationes podicis frequẽter sequũtur vitia hæmorrhoidum, similiter mensium incommoda ac hæmorrhoides oris vuluæ facilè matricẽ inflammãt: idque testatur vrinæ angustia, & quia modò destillat paululum. siquidẽ podicis & locorum inflammationes malè habent emissaria vrinæ: æquè quoque vlcera renũ & puris effusiones adferunt vrinam difficilem. etenim iugiter saniem sudãt quæ miscetur vrinæ, & eius noxas exasperat. Cæterùm inflammato iocinore singultus propè strangulat, & stomachus discruciatur.

APHOR. LIX.

Γυνὴ ἢν μὴ λαμβάνῃ ἐν γαστρὶ, βούλῃ δὲ εἰδέναι εἰ λήψεται, περικαλύψας ἱματίοισι θυμία κάτω· κἢν μὲν πορεύεσθαι σοι δοκέῃ ἡ ὀδμὴ διὰ τοῦ σώματος ἐς τὰς ῥῖνας καὶ ἐς τὸ στόμα, γίνωσκε ὅτι αὐτὴ οὐ δι' ἑωυτὴν ἄγονός ἐστιν.

Si mulier haud conceperit, vis autem scire num sit conceptura, obtecta stragulis deorsum vaporetur: sin autem appareat odor per corpus, os, narésque subire, existimato eam non sterilescere suapte vi.

Hoc Aphorismo persequitur mulieres steriles propter incommoda oris vuluæ, eiúsque perclusiones, siue collectiones, tubercula, tunicæ, immodicáve sagina corporis illud comprimit: quod quum intercluditur neque fatiscit vbi vaporantur deorsum odores, nec eos sorbet, nullo modo potest recipere genitalem vrinam. Iure ergo nunc Hippocrates tradit, mulierem esse vndique tegendam stragulis, ne suffitus possint aliò euagari, sed ex toto vuluam subeant, eiúsque intimos canales. etenim si sit spes futuræ grauidæ, laxabuntur vuluæ spiracula: odor quoque per corpus fragrabit naribus ac ore.

APHOR. LX.

ΗΝ γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες πορεύωνται, ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν.

Si gerentibus vterum procedunt purgationes, neque fœtus sanus existere potest.

Hoc Aphoriſmo autor eſt Hippocrates, fœtus langueſcere ſine modo, & aliqua ſiniſtra valetudine implicari, quia haud reſtitant aſſuetæ mulierum purgationes. docent enim vltra modum laxari vuluæ ſpiracula, nec remanere cibum idoneum ad fœtus alendos. Nihilominus grauidis plerumque fluunt hæmorrhoides ceruicis, vteri ſine vllo metu.

APHOR. LXI.

ΗΝ γυναικὶ καθάρσιες μὴ πορεύωνται, μήτε φρίκης, μήτε πυρετοῦ ἐπιγινομένου, ἄσαι δὲ αὐτῇ προσπίπτωσιν, λογίζου ταύτην ἐν γαστρὶ ἔχειν.

Si mulierum purgationes nequaquam eunt neque febre neque horrore accedente, incidúntque ciborum faſtidia, exiſtimato uterum plenum.

Hoc Aphoriſmo perhibet duplicem coniecturã prægnantium, hominíſve inchoati, quia per initia morantur earum aſſuetæ purgationes: deinde ſentiuntur faſtidia in cibis, ſtomachi redundatio & nauſea ſine horrore ac febre: neque plenus vterus patet profuſionibus menſtruis, ſed intercluduntur eius canales. Adhæc creat inſignem corporis mutationem, quæ mouet dolores capitis, oculorũ vertigines tenebráſque, malè habet ſtomachũ, ac effundit in vomitiones, quaſdam mulieres grauiter cruciat, proſternit tanquam morbo ſontico, impellítque in turpiſsimum errorem gregarios medicos. Cæterùm febres & incommoda vuluæ quandoque morantur mulierum purgationes, malè habẽt ſtomachum, neque ex eo vterus habetur grauidus. Porro vitia vuluæ mouẽt frigus horrorémve noxium, quia numerãtur in poſterioribus corpo-

ris partibus. Neque dubium est his literis contineri vuluæ morbos, qui inhibent mulierum purgationes, profligántque vltra modum robustas vires. Certum autem signum prægnantiũ est motio fœtus in vtero.

Aphor. LXII.

Ὁκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσι, οὐ κυΐσκουσι. καὶ ὁκόσαι καθύγρους ἔχουσι τὰς μήτρας, οὐ κυΐσκουσιν· ἀποσβέννυται γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος. καὶ ὁκόσαι ξηρὰς μᾶλλον καὶ περικαέας· ἐνδείῃ γὰρ τῆς τροφῆς φθείρεται τὸ σπέρμα. ὁκόσαι δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τὴν κρᾶσιν ἔχουσι σύμμετρον, αἱ τοιαῦται ἐπίτεκνοι γίνονται.

Quæ constant frigida spissaque matrice, haud grauidæ nascuntur, nec vbi matrix est fluida, vterum gerunt. in his enim extinguitur genitura, necnon vbi aridiore & flagrante matrice detinentur: quoniam pastus inopia vitiatur genitale semen. sed quæ ex vtrisque sunt mediocris temperamenti, fæcundæ emergunt.

Hoc Aphorismo persequitur locos steriles, quoniam algẽt, nec sunt libidinis auidiores, sed in cõcubitu hebescit eorum venus, neque vibrant vrinam genitalem necessariam ad concipiendum: deinde mulieres sterilescunt, quia spissescit matrix, duratur callo, senectute vel tuberculis. Ideóque mulier post quinquagesimum annũ nõ gignit, maiórque pars quadragesimo sistit genitale profluuium, Plinio autore: deinde matrix nõ generat vbi laborat fluore albo, pallido, cruento: aut impeditur assiduo profluuio genituræ. In his vtique omnibus extinguitur genitale semen, nec viuiscit, quandoquidem fluores mali humoris miscẽtur genituræ virili, eámque eiugulãt: similiter spissa matrix, callosa, cicatricosa, ac senior haud potest alere genitalem vrinam quæ possit animari & corporari. Nunc perhibet aliam causam sterilitatis, quia matrix deflagrat, est auidissimæ libidinis, salacior, & cuius nulla est satietas in coitu. nam iugiter ferè hiat, neque præcluditur post coitum, nec retinet virilem geniturã. Ideóque in hominum genere maribus diuerticula

veneris

veneris excogitantur quidem fcelere naturæ, fœminis verò abortus,autore Plinio :æquè quoque aridior vulua,nec vnquam rigua haud fufficit cibum conglobatæ intus genituræ. Iure ergo primis quadraginta diebus mulieres plerumque decutiũt quicquid intus concretum eft. Nihilominus vidimus mulieres fœcundas, quæque fingulis annis enitebantur, nec illis menfes vnquam apparuerunt. Idcóque vtero grauido fatifcunt venarum fpiracula, & exhibent largum cibum genituræ, contra opiniones prifcorum. Cæterò fubiicit requiri vuluam moderatam, quæ non fit frigidior, neque falacior,non lubrica, non denfa, non aridior, nec vltra modum fitiens, quò fit futura liberorum propago.

APHOR. LXIII.

Παραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀρρένων. ἢ γὰρ δι' ἀραιότητα τοῦ σώματος τὸ πνεῦμα ἔξω φέρεται, πρὸς τὸ μὴ παραπέμπειν τὸ σπέρμα, ἢ διὰ τὴν πυκνότητα τὸ ὑγρὸν οὐ διαχωρέει ἔξω, ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα οὐκ ἐκπυελᾶται, ὥστε ἀθροίζεσθαι πρὸς τὸν τόπον τοῦτον, ἢ διὰ τὴν θερμασίην τὸ αὐτὸ τοῦτο γίνεται.

Ratio mafculorum eft fimilis . namque vel ob rarum corpus fpiritus extra fertur donec haud profundat genitale femen : vel quia fpiffum eft, nullus liquor eft:aut ob frigora non ardet, quatenus congeratur per hunc locum : vel ob calorem id ipfum emergit.

Hoc Aphorifmo autor eft Hippocrates mares fterilefcere quorũ virilitas laxa eft,rara, inualida,& plerumque refoluta, nec reuellitur adhibita frigida perfufione, fed remanet eiufdem corpulentiæ & proceræ lõgitudinis: fiquidem haud vibrat genitalem vrinam. vomit enim modò fpiritum,halitum,aut materiam liquidã quæ vaporatur, neque animari aut corporari vllo modo poteft:deinde virilia fpiffa, quorum canales haud fatifcunt paténtve, verùm præcluduntur, durantur callo, exulceratione in his partibus facta, tuberculis, aut caftratione, morantur vrinam genita-

lem,nec eam vibrant,aut manent vidua geniturę.Prę ter hæc virilitas frigida,hebes, malefica, quæque repudiat cōcubitus, neutiquam aceruat in proprio ſinu genitale ſemen, & ſterilitatis cauſa eſt. Viri etiānum ſalaciores aut ardentiores haud ſeruant nec percoquunt genituram.eam enim crudam ac imperfectam reddunt,neque corporatur. Cæterò turpiter peccant qui rati ſunt hunc Aphoriſmum abhorrere ab autoritate ſummi viri Hippocratis.

APHOR. LXIIII.

Γάλα διδόναι κεφαλαλγέουσι, κακόν· κακὸν δὲ καὶ πυρεταίνουσι, καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα, καὶ τοῖσι διψώδεσι. Κακὸν δὲ καὶ οἷσι χολώδεες αἱ διαχωρήσιες καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσι πυρετοῖσιν ἐοῦσι, καὶ οἷσιν αἵματος πολλοῦ διαχώρησις γέγονεν. Ἁρμόζει δὲ τοῖσι φθινώδεσι μὴ λίην πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι γάλα, καὶ ἐν πυρετοῖσι μακροῖσι, καὶ βληχροῖσι, μηδενὸς τῶν προειρημένων σημείων παρεόντος· παρὰ λόγον δὲ ἐκτετηκόσι.

Malum eſt lac dare capite laborantibus:eſt etiam febriculoſis noxium, & quibus tumentia precordia ſtrepitus edunt, ac ſiticuloſis. Deinde vitioſum eſt bilioſis deiectionibus, & per febres acutas, necnon vbi gignitur liberalis cruenta reiectio. Nihilominus accommodatur phthiſi conſumptis ſine febre admodum inſigni,ac per diutinas febres difficiléſque ſi nullum ſignum ſuprapoſitum ineſt:poſtremò tabeſcentibus præter rationem.

Hoc Aphoriſmo perhibetur vſus lactis, qui tempore Hippocratis & priſcis plurimum increbuerat. Primū tradit lac eſſe pro veneno capite laborātibus: æquè quoque contrarius eſt neruorum vitio febres habētibus,comitialibus, vertiginoſis. ſiquidem facilè in acorem degenerat, putreſcítque in vitioſam materiam,quæ malè habet neruos, niſi quis purgationis cauſa interdum exhibeat ſchiſtū.Porro quidam ſerum lactis iam multo potentiſsimum decoquunt ad tertias partes,& ſub dio refrigerant,bibitúrque efficaciſſimè heminis per interualla ſingulis diebus quinis, melius eſt à potu geſtari, Plinio autore. Datur comitialibus,

tialibus, melancholicis, paralyticis, in lepris, elephantiasi, articularibus morbis. Itémq; sunt inter exēpla, teste Plinio, qui lac asininū bibēdo liberati sunt podagra chiragráve: serū autē lactis bubuli orthopnoïcis prodest ante cætera addito nasturtio. Deinde lac nocet febriculosis, quia vitiatur in labem humorum qui febres exasperant. Iure ergo ocyssimè virescunt deiectiones lactantium: lac etiamnum facessit negotium splenicis, hepaticis, tumētibus præcordiis, quæ strepitum edunt, quandoquidem mouet inflationes, & putrescit in perniciem materiæ, quæ miscetur intus conditæ causæ morbi. Nihilominus lacte caprino lienes sanari memoriæ prodidit Plinius, post bidui inediam, tertia die hedera pastis capris pertriduum poto sine alio cibo: nec aliàs iuuat splenicos. Præter hæc pueris ante cibū lactis asinini heminam dari, aut, si in exitu cibi rosiones sentirent, antiqui in arcanis habuerunt: si hoc non esset, habuerunt è caprino, Plinio teste. Lac etiamnum siticulosos offendit, maximéque febricitantes, quoniam vitiatur intus in labem humorum deterrimam. Pari iure lac nocet biliosis deiectionibus, febribus continuis, & sanguinis profluuio, quoniam degenerat in malos humores, qui malè habent interna viscera, ex quibus ferè prorumpit atrox frigus: tamen lac decoctum cum marinis lapillis ægrius corrūpitur, astringit iuuátque aluum biliosam, infunditur contra rosiones à medicamentis factas, & si vrget dysenteria, recens, si rosiones intestinorum, bubulum aut ouillum vtilius: item duræ aluo in febri. aluus autem maximè soluitur bubulo. Cæterùm lac omne boni succi est, corpus alit, mollítque aluū. quare vtilissimè bibitur ab imbecillitate vires recolligētibus, quos atrophos vocāt. In Arcadia bubulum bibunt phthisici, syntectici, & cachectæ, velut perhibet Plinius: nisi tabes aut phthisis fuerit annexa grauissimis febribus, aut suprapo-

ſitis incõmodis corporis. Similiter lac mulcet acres humores, educítque paulatim molliendo ventrem, & ſuccurrit longis febribus, difficilibúſque ad medẽdum, quæ tabe conſumunt ægrotos. Tabeſcentibus vtique auxiliatur, quum ſit boni ſucci, ac propè ex toto in cibum degenerat, neque multa excremẽta præbet, facilè coquitur, delegatur in totum corpus, & ſolo candore à ſanguine diſcernitur. Ideóque vtiliſsimum cuique maternum eſt: maximè autẽ alit quodcunque humanum, mox caprinum: eſt etiam accommodatiſsimum ſtomacho, quia fronde magis quàm herba veſcuntur capræ: bubulum medicatius, ouillum dulcius & magis alit, ſtomacho minus vtile, quoniã eſt pinguius. Omne autem vernum aquatius æſtiuo, & de nouellis: probatiſsimum verò, quod in vngue hæret, nec defluit: innocentius, decoctum, præcipuè cum calculis marinis. minus etiam inflat: iuuat omnia vlcerata intus, maximè renes, veſicam, interanea, fauces, pulmones, foris pruritum cutis, eruptiones pituitæ leuat.

APHOR. LXV.

Ὁκόσοισιν οἰδήματα ἐφ' ἕλκεσι φαίνεται, οὐ μάλα σπῶνται οὐδὲ μαίνονται· τουτέων δὲ ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, τοῖσι μὲν ὄπισθεν σπασμοὶ, τέτανοι· τοῖσι δὲ ἔμπροσθεν μανίαι, ὀδύναι πλευροῦ ὀξεῖαι, ἢ ἐμπύησις, ἢ δυσεντερίη, ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα.

Vbi tumores apparent ſupra vlcera, non valde diſtenduntur, neque inſaniunt: ſi verò ſubito deſierunt, vtique à tergo naſcuntur ſpaſmi, tetani: à fronte verò, inſaniæ, acuti lateris dolores, vel ſuppuratio, vel dyſenteria, ſi tumores rubore ſuffunduntur.

Hoc Aphoriſmo comprehendit vlcera periculoſa, quæ vel ante vel in ipſo morbo naſcuntur. Cæterùm liberant ægrotos omnibus periculis, ſi tumores apparent ſupra vlcera: quoniam teſtantur corruptelam humorum euocari ex internis viſceribus, & vlceribus

ribus incumbere. Idcirco nec desipiunt ægroti, nec contrahunt neruos: sin autem suprapositi tumores vlcerum desierunt subitò nondum liberatis ægrotis, neque ex toto fusa materia inutili, metum incutiunt. Ideóque timere licet spasmum, tetanum, incommodáque neruorum, vbi vlcera impetunt à tergo. namque ibi hæret præcipua neruorũ sedes: vbi verò subeunt anteriores corporis partes, adferunt metum malorũ, quæ priuatim fatigãt à frõte. Cęterò nõnunquam huiusmodi casum, (quæ tutissima inter hæc est), sequitur alui profusio aut suppuratio. Tumores vtique rubri ac inflammati incutiunt terrorem eorum quæ persequutus est Hippocrates. etenim sequuntur acrem vitiosámque materiam, quæ vlcera exasperat ac mouet deterrima vitia corporis.

APHOR. LXVI.

Ην τρωμάτων ἰσχυρῶν ἐόντων καὶ πονηρῶν οἰδήματα μὴ φαίνηται, μέγα κακόν.

Nisi tumores appareant inflictis vulneribus quæ sint grauia & periculosa, ingens vitium est.

Hoc Aphorismo illustrat graues ictus & perniciosos, qui quum neque pus reddunt, neque tument, facilè putrescunt, transeunt in cancrum, necnon degenerãt in noxas corporis grauissimas: siquidẽ protinus emergunt virulenti, profligant interna viscera, stomachum subuertunt, & vires vltra modum infirmant. Cæterò iuuat per initia plagis illatis pus moueri, nisi insit virus aliquod periculosum. nihilominus plerumque sine vllo metu tolluntur ictus mitissimi balsamo, necnon abditis præsidiis quibusdam, nulla facta suppuratione, quum nulla collisio sit.

APHOR. LXVII.

Τὰ χαῦνα χρηστὰ, τὰ ἔνωμα κακά.

Tumores molles seu laxi proficiunt, crudi sunt vitiosi.

Hoc Aphoriſmo perſequitur tumores qui vlceribus innaſcuntur, vel ſequuntur abſceſſus humoris corrupti, qui ſe aliò inclinant, & liberant viſcera interna cunctis incõmodis. Cæterùm Hippocrates celebrat laxos tumores, molléſque vbi ocyſsimè ſuppurantur ac deſiſtunt: ſed crudi, rigidi, duríve demonſtrant perniciem humorũ difficilem ad medendum, quæque vix expellitur.

APHOR. LXVIII.

Τοῖσιν ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ὀδυνωμένοισιν, ἡ ἐν μετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα, ὠφελέει.

Capite laborantibus à tergo conducit præciſa rectà uena frontis.

Hoc Aphoriſmo perluſtrat tutiſsimum præſidium doloris capitis à tergo. namque exciſa recta vena frontis euocatur labes humorum qui à tergo negotium exhibent, plerumque mouent collectiones, incutiúntque metum: ſin autem caput cruciatur à fronte, pertuſa recta vena frontis ſubinde hebetat aciem, nec diſcutit collectiones in quas dolor omnis atrox vbique protinus ſe vertit.

APHOR. LXIX.

Ρίγεα ἄρχεται γυναιξὶ μὲν ἐξ ὀσφύος μᾶλλον καὶ διὰ νώτου ἐς κεφαλήν· ἀτὰρ καὶ ἀνδράσιν ὄπισθεν μᾶλλον ἢ ἔμπροσθεν τοῦ σώματος, οἷον ἀπὸ τῶν πηχέων καὶ μηρῶν· ἀτὰρ καὶ τὸ δέρμα ἀραιόν. δηλοῖ δὲ τοῦτο ἡ θρίξ.

Rigores mulieribus ex lumbis magis dorſoque incipiunt uerſum caput: uiris etiamnum potius à tergo quàm ab anteriori parte corporis, uelut à cubitis & fœminibus: uerumetiam cutis rara eſt, quam pilus teſtatur.

Hoc Aphoriſmo ex rigore metitur incõmoda corporis à tergo, noxas vuluæ, fœminum & cubitorum: ſiquidem rigores ceu algores inſueti ac immoderati teſtantur mulieres vuluæ cauſarias. etenim vul-

ua numeratur in posterioribus corporis partibus, & vim neruorum obtinet : æquè quoque vitia neruorũ deteriora exhibent propè aſsiduum rigorẽ, frigúſve. Qúumque brachia, coxç ex ſua ſede propellũtur, rumpuntur, aut negotium faceſſunt, mouent rigores algoréſve partis laborantis, quia ferè annectuntur poſterioribus locis corporis. Cæterò cutis rara exiſtit à tergo, patet rigori, neque villis munitur, velut à frõte.

APHOR. LXX.

OΙ ὑπὸ τεταρταίων ἁλισκόμενοι, ὑπὸ σπασμοῦ οὐ πάνυ τι ἁλίσκονται· ἢν δὲ ἁλίσκωνται πρότερον, εἶτα ἐπιγένηται τεταρταῖος, παύονται.

Quartana uexati ægrè corripiũtur ſpaſmo: ſin autem prius corripiuntur, deinde ſubſequitur febris biduo medio internallata, deſinunt.

HOC Aphoriſmo Hippocrates celebrat febrem quartanam, ſiquis fuerit comitialis & obiectus conuulſionibus: ſiquidem cùm morbus ſonticus, tum conuulſiones malè habent hominem à tergo: febris autẽ protinus euocat incõmoda neruorum, & poſteriorũ partiũ. mouet enim corpus ab eo ſtatu quo laborat, modò grauior non ſit.

APHOR. LXXI.

OΚόσοισι δέρματα περιτείνεται καρφαλέα καὶ σκληρὰ, ἄνευ ἱδρῶτων τελευτῶσιν· ὁκόσοισι δὲ χαλαρὰ καὶ ἀραιὰ, σὺν ἱδρῶτι τελευτῶσιν.

Vbi cutis ſicca ac dura obtenditur, ſine ſudore decedunt: vbi verò rara laxáque eſt, cum ſudore moriuntur.

HIC Aphoriſmus eſt proprius moribundis, quos prænuntiamus oppetere ſine vllo ſudoris profluuio, quia rigeſcit cutis, neque rigatur: quæ quum rara eſt ac mollis, non moriuntur ſine ſudore. namque ex mollitie rigua emergit.

APHOR. LXXII.

OἹ ἰκτερώδεες οὐ πάνυ τι πνευματώδεές εἰσι.

Bile ſuffuſi difficiliter flatuoſi naſcuntur.

Hoc Aphoriſmo ſignificat bilioſas ſuffuſiones ex toto aluum cõtrahere, quoniam morãtur eruptiones flatuum, eliciúntque ex aluo felleam materiam, quæ ventrem mollit: deinde malè habent ſtomachum, infirmántque vires vltra debitum. Cæterò Galenus imprudenter tradit, felle ſuffuſos non ſentire langorem ventris, nec eius incommoda, quoniam iugiter ferè manent aluo aſtricta.

CLAVDII CAMPENSII MEDICI IN SEXTAM SECTIONEM APHORIſmorum Hippocratis Annotationes.

APHOR. I.

ΕΝ τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσιν ὀξυρεγμίη ἐπιγινομένη, μὴ γενομένη πρότερον, σημεῖον ἀγαθόν.

In diutinis inteſtinorum leuitatibus ſubſequens ructus acutus, qui priùs aberat, bonum indicium eſt.

Hoc Aphoriſmo declarat quieſcere longas inteſtinorum leuitates, quoniam ſequitur ructus acutus, qui priùs aberat: æquè quoque vomitus iuuant aluum liquidam: nam & ructus & vomitus eliciunt ex interaneis labem humorum qui ducunt aluum: idque teſtatur vires robuſtas, niſi acerbior morbus, & grauiſsima vitia inteſtinorum ſtomachum ſubuertāt, effundant in vomitiones, necnō ex atrociſsimis morbis corporis vrgeant vomitus, ructus & fluores alui. Iure ergo ſcienter tradit ructū acutum, felleum, quem mouent acres humores ſimúlque ducunt aluum. etenim teſtatur vires potentiſsimas ſuperare omnē corruptelam humorum, vaporare materiam inutilem, aſtringíque ventrem, & corpus dimoueri ab eo ſtatu quo laborat.

APHOR. II.

Οἷσι ῥῖνες ὑγρότεραι φύσει, καὶ ἡ γονὴ ὑγροτέρη, ὑγιαίνουσι νοσηρότερον· οἷσι δὲ τἀναντία, ὑγιεινότερον.

Quibus ſanis nares emergunt fluidiores ſuapte natura, et genitura liquidior oritur, noxius: quibus autem contraria naſcuntur, eſt ſalubrius.

Hoc Aphoriſmo nares fluidiores naturaliter, aut malo victu, & vitio corporis denuntiant cerebrũ opportunũ diſſonis rheumatiſmis qui immẽſa incõmoda creant: verùm aquoſa & liquida genitura fertur effuſo verẽdorum omni robore, vnde plerique ſterileſcunt. Porro alibi declarauimus totum corpus plurimum inualeſcere ex verendis robuſtis. ſcienter ergo nunc autor eſt Hippocrates hominem obnoxium capitis deſtillationibus facilè morbis corripi, ſi ſit languidior.

Aphor. III.

Ἐν τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν αἱ ἀποσιτίαι, κακὸν, καὶ σὺν πυρετῷ κάκιον.

Per longas dyſenterias ciborum faſtidia mala ſunt, emergúntque deteriora cum febre.

Acria tormina interdum tolerabilia ſunt, vbi neque febris, neque aliud malum accedit. detrahunt enim omnem perniciem humorum qui nos malè habent, plerumque reſeruãt partus & grauidum vterum: nihilominus vbi moram prorogant, proſternunt robur virium, profligant ſtomachum, tollunt ciborum auiditatem, & metum incutiũt: creſcunt etiamnum, quia febres creant.

Aphor. IIII.

Τὰ περιμάδεα ἕλκεα, κακοήθεα.

Vlcera valde glabra numerantur in malis.

Hoc loco perſequitur tetrum vlcus, quoniam vehementer glabreſcit cutis vicina, nudatur villis omnibus, pallor aut nigrities eam decolorat, ſerpítque vlcerum pernicies, & creſcit labes humorum in loco ambiente.

Aphor.

APHOR. V.

Τῶν ὀδυνέων καὶ ἐν πλευρῇσι, καὶ ἐν στήθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν, ἢν μέγα διαφέρωσι, καταμαθητέον.

Licet intueri dolores lateris & pectoris & aliarum partium, si valde pr. stant.

Nvnc tradit eſſe viſcēdos cruciatus præſtantiores, ne vllo errorē preſagiendo in futurum, alēdo aut aliud faciendo labi poſsit medicus.

APHOR. VI.

Τὰ νεφριτικὰ καὶ ὅκοσα κατὰ τὴν κύστιν ἀλγήματα, ἐργωδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτῃσι.

Renum dolores, quiq; circa veſicam negotium exhibent, vix tolluntur ſenibus.

Hoc Aphoriſmo comprehendit vrinæ anguſtias, quibus ſenes facilè patent, ſequūtur vitia renum, veſicæ roſiones, carnes hebetes, quæque luxuriant, vlcera ceu calculos. Porro veſica & renes ſunt emiſſaria corporis vniuerſi, rigantur aſsidua humorum perfuſione & ocyſsimè ſenibus negotium faceſſunt, quibus cuncta labant.

APHOR. VII.

Τὰ ἀλγήματα τὰ κατὰ τὴν κοιλίην γινόμενα, τὰ μὲν μετέωρα, κουφότερα· τὰ δὲ μὴ μετέωρα, ἰσχυρότερα.

Vbi dolores circa uentrem ex orſi tument, ſunt leuiores: quiquum haud tument, grauiores emergunt.

Hoc Aphoriſmo celebrat dolentes collectiones circa ventrem, quia in tumorem aſſurgunt, prorumpunt extrorſum & in acutum faſtigiantur liberatis internis viſceribus omni noxa: ſin autem conduntur intus, ſinuātur, & fatigant penitiſsimas corporis partes, incutiunt terrorem.

APHOR. VIII.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι, οὐ ῥηιδίως ὑγιάζεται.

Vlcera corporis laborantis aqua subeunte cutem haud facilè sanescunt.

STATVVNTVR multa genera morbi hydropici: quorum omnium communis est nimia humoris abundantia, ob quam vlcera quidem in his ægris vix desistunt.

APHOR. IX.

Τὰ πλατέα ἐξανθήματα οὐ πάνυ τι κνησμώδεα.
Latæ pustulæ uix pruriunt.

NASCVNTVR diuersa genera pustularum: nam interdum colorem cutis non mutant, aliàs rubescunt, nonnunquam apparent plures similes varis, necnon maiores, liuidæ, pallidæ, nigræ, aut aliter naturali colore mutatæ. Iam Hippocrates disiũgit duo genera pustularum, ex quibus aliæ breues erũpunt, quæ exorsæ leui de causa creant modò pruriginem: aliæ sunt vastiores longéque deteriores suprapositis. siquidem ex his plerumque vlcuscula cum dolore ac inflãmatione proficiscuntur. namque pernicies ac virus humorum qui prorũpunt in vastiores pustulas, mouet dolorem ac inflãmationem loco pruriginis, ceu formicationis.

APHOR. X.

Κεφαλὴν πονέοντι καὶ περιωδυνέοντι, πύον ἢ ὕδωρ ἢ αἷμα ῥυὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα, λύει τὸ νούσημα.

Laborãtibus capite, grauitérque vexatis, profluuium purulentum, cruẽtum vel aquosum per os, nares, aut ũ esue, morbum soluit.

Hoc Aphorismo comprehendit remedia doloris capitis, quamuis sit atrox. Cæterùm finitur eruptione humoris corrupti, quíque fertur per capitis emissaria, ac doloris autor est. Ideóque repudiandi sunt physiologi, qui metiuntur ac ponderant dolores capitis ex vapore, aut intemperie. nam incommoda materiæ

quæ cerebro

quæ cerebro continetur, caput malè habet, neque vapores suapte vi vllum dolorem mouent, sed ex pernicie quam illis impertit labes humorum, & eorum quæ vaporantur.

APHOR. XI.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσι αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν.

Laborantibus atra bile renúmque vitio accedentes hæmorrhoides sunt in bonis.

NEMO negat cursus hæmorrhoïdũ plerumque mitigare grauissima corporis incommoda, quoniam extrahunt magnam labem humorum, & liberant interna viscera noxis periculosis: qúumque ex atra bile desipit aliquis, aut capite laborat, reseruatur fluore hæmorrhoïdũ: æquè quoque profluuii hęmorrhoïdum exigunt mucosam corruptámque materiã quæ malè habet renes, mouet calculos, tubercula, vlcera, atque intolerabiles vrinæ angustias.

APHOR. XII.

Αἱμοῤῥοΐδας ἰηθέντι χρονίας, ἢν μὴ μία φυλαχθῇ, κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, ἢ φθίσιν.

Curatis longis hæmorrhoidibus, nisi una seruetur, accedit periculum phthisis, uel aquæ inter cutem fusæ.

HIC locus peculiariter illustrat curatiónes hæmorrhoïdum quæ immodico fluore corpora digerũt. his enim astrictis inutilis materia subinde irruit in viscera & præcordia, concitat graues noxas, phthĩsim mouet, mẽtem turbat, & quãdoque fundit aquã subter cutem, nisi maneat earum aliqua sedes fluida.

APHOR. XIII.

Ὑπὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγινόμενοι λύουσι τὸν λυγμόν.

Singultu fatigatis accedens sternutamentum singultum soluit.

STERNVTAMENTVM ferè vbique pollicetur omnem ſecuritatem, niſi vitia pulmonum, dolores lateris, aut teter rheumatiſmus vrgeat. recreſcunt enim accedente ſternutamento: nihilominus alias dimouet corpus ab eo ſtatu quo detinetur, vires recreat, atque diſcutit ſingultum.

APHOR. XIIII.

Ὑπὸ ὕδρωπος ἐχομένῳ τοῦ κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥυέντος, λύσις.

Quibus aqua ſubiit cutem, fertúrque ad uentrem per uenas, deſinit.

PERHIBETVR aqua ſubtus cutem ſubire, vbi corpora implet, nec abſorbetur. Ideóque eius effuſio præſidio eſt.

APHOR. XV.

Ὑπὸ διαῤῥοίης ἐχομένῳ μακρῆς, ἀπὸ ταυτομάτου ἔμετος ἐπιγενόμενος λύει τὴν διάῤῥοιαν.

Laborantibus longis deiectionibus, aluiuomitus ſponte accedens ſoluit deiectiones.

INTERDVM celebrantur ventris reſolutiones, maximéque vbi intra diē ſeptimū cōquieſcūt, ſiquidem detrahūt humores noxios: ſin autē diutius hæreant, vires ſine modo conſumunt, mouent roſiones ventris, nonnunquā febriculas, neque metu carēt: nihilominus iuuantur vomitu, qui ſponte fit nullis datis pharmacis, neque exaſperata labe humorum, qui deſcendunt, quoniam aliò euocat cauſas diutinæ deiectionis, & abducit corpus ab eo ſtatu in quo eſt.

APHOR. XVI.

Ὑπὸ πλευρίτιδος ἢ ὑπὸ περιπνευμονίης ἐχομένῳ, διάῤῥοια ἐπιγενομένη, κακόν.

Pulmonibus

Pulmonibus laborantibus aut latere accidens uentris deiectio numeratur in malis.

NVNC significat vitiosas alui deiectiones, quæ exasperant virium langorem, mouent assiduam cupiditatem desidẽdi, sequũtur graues humorum impetus, qui malè habent pulmones & latera: deinde aluus liquida ferè sputum moratur.

APHOR. XVII.

Ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης ληφθῆναι, ἀγαθόν.

Bonum est lippientem corripi deiectionibus uentris.

VNICVIQVE est in confesso acres & salsos humores noxiúmque rheumatismum creare lippitudines, & dolores oculorum, quę mitigãtur aluo liquida. exugit enim materiam noxiã oculis, eósque reseruat.

APHOR. XVIII.

Κύστιν διακοπέντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἧπαρ, θανατῶδες.

Seruari non potest cui cerebrum, cui uesica, cui cor, cui septum transuersum, cui intestinum aliquod tenue, cui uenter, cui iecur præcisa sunt.

IAM paucis comprehendit insanabiles ictus, qui quum subeunt tenue velamentum cerebri, aut eius medullam, nulla salutis spes est. nam sequuntur conuulsiones, sopores, febres, & corporis incommoda, quibus nulla medicina proficit. Deinde ictus vesicæ, ventriculi, graciliúmque intestinorum rigantur assiduo madore, & ocyssimè in cancrum degenerant. Iecur quoque discussum maturè putrescit, mouet inflammationes, neque est sine metu, nisi mitior ictus & eius noxæ tolerabiles emergant.

APHOR. XIX.

Ἐπὴν διακοπῇ ὀστέον, ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον, ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν, ἢ ἀκροποσθίη, οὔτε αὔξεται, οὔτε ξυμφύεται.

Os excisum uel cartilago uel neruus uel genarum pars tenuis, uel præputium neque crescit neque glutinatur.

Hoc Aphorismo significat fracturas osium quæ modò coalescunt callo inducto: æquè quoque ruptæ cartilagines solidantur carnibus increscētibus. similiter nerui buccarum, pars tenuis, ac præputium, discussa haud crescunt, neque glutinantur ingenerata essentia simili, sed modò continuantur duriusculo interstitio emergente.

APHOR. XX.

HN ἐς τὴν κοιλίην αἷμα ἐκχυθῇ παρὰ φύσιν, ἀνάγκη ἐκπυηθῆναι.

Si in uentrē sanguis præter naturā proruperit, necessariò suppuratur.

His literis puris nomen est proprium sanguini suppurato ac eius strigmentis: nam quandoque sanguis in thoracem fertur, cogitur in strigmēta, neque potest aliter suppurari.

APHOR. XXI.

TOῖσι μαινομένοισι κιρσῶν ἢ αἱμορροΐδων ἐπιγινομένων, τῆς μανίης λύσις.

Desipientibus accedentes uarices aut hæmorrhoides tollunt insaniam.

PERSPICVVM est varices ac profusiones hæmorrhoidum mederi desipiētibus, quoniam auocant ex cerebro cuncta incommoda, & liberant hominem graui labe humorum, atque corpora abducunt ab eo statu quo fatigantur: non autem quia placant, leniuntur irritæ Galeni intemperies.

APHOR. XXII.

OΚόσα ῥήγματα ἐκ τοῦ νώτου ἐς τοὺς ἀγκῶνας καταβαίνει, φλεβοτομίη λύει.

Quæcunque eruptiones ex dorso deuoluūtur ad cubitum, soluuntur uena pertusa.

Hoc

Hoc Aphoriſmo notat profuſiones mali humoris, quæ ſubeunt ſcapulas, cubitum ac perſæpe manum totam, mouent dolores, exoriuntur ex dorſo, capite, & ex diuerſis corporis partibus, quibus ſuccurrit vena extuſa. nihilominus tutius eſt ſecare venã alterius manus quæ ſit integra: adurens medicamentum tutò parti laboranti ſuperdatur in hoc malo.

APHOR. XXIII.

HN φόβος καὶ δυσθυμίη πολὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο.

Vbi triſtitia, ac timor perdiu manent, ſubeſt morbus atræ bilis.

NVNC docet ex atra bile futuram demẽtiam, quia diutius hæret triſtior aliquis, timet ſentítque longas animi perturbationes: ſiquidem infirmant ſedem timentis, abalienant, & ſequuntur labem humorum qui mentem facilè addicunt vanis imaginibus.

APHOR. XXIIII.

ENτέρων ἢν διακοπῇ τῶν λεπτῶν τι, οὐ ξυμφύεται.

Si quod tenue inteſtinum præciſum eſt, haud glutinatur.

IAM tradit tenue inteſtinum exciſum nullam ſẽtire medicinam, quoniam eſt viduum carnibus, cibus potúſque per vulnus exeunt, rigatur madore felleo datíſque liquamentis: verùm laxiora ceu pleniora inteſtina diſcuſſa vel ſtercus vel eius odorem exhibẽt.

APHOR. XXV.

ERυσίπελας ἔξωθεν μὲν ἔσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν· ἔσωθεν δὲ ἔξω, ἀγαθόν.

Haud bonum eſt eryſipelas externum in interiora migrare: internum verò bonum eſt prorumpere in externas partes.

Hoc Aphoriſmo comprehendit mortifera teſtimonia vlcerum aut vulnerum, quorum incommoda intus creſcunt, corripiuntur eryſipelate, & in cancrum

transeunt:hic autem quum ſubit interiora, ocyſsimè vitiantur nerui, venę, oſſáque, nec metus abeſt:ſin autem integris locis interioribus omnes noxæ ſubeunt extrorſum, docent liberari intimas vlcerum ſedes, & ſalus eſt in propinquo.

APHOR. XXVI.

ΟΚόσοισιν αἳ ἐν τοῖσι καύσοισι τρόμοι γίνονται, παρακοπὴ λύει.

Vbi in ardentibus tremores ſunt, ſoluuntur delirio.

HOC Aphoriſmo tradit, tremores febricitãtium acerbius non terrere concitato delirio, quia ſequũtur noxas neruorum, & vitia corporis à tergo: delirium verò denuntiat inutilem materiam irruere à fronte, & exercere ſedem ſenſuum, ideóque abducit corpora ab intolerabili tremore: deinde fertur toto corpore ſudor, qui cũcta mulcet:niſi ſimul vtrũque exoriatur.

APHOR. XXVII.

ΟΚόσοι ἔμπυοι ἢ ὑδρωπικοὶ καίονται ἢ τέμνονται, ἐκρυέντος τοῦ πύου καὶ τοῦ ὕδατος ἀθρόου, πάντως ἀπόλλυνται.

Vbi aqua inter cutem aliquem impleuit, aut ſentit ſuppurationes adhibita ſectione uel uſtione abundè effudiſſe pus & aquam, ex toto eſt mortiferum.

IVRE (autore Celſo) aliquis mirabitur, quo modo quædam ſimul & affligant noſtra corpora, & parte aliqua tueantur. nam ſiue aqua inter cutem aliquem impleuit, ſiue in magno abſceſſu multum puris coiit, ſimul id omne effudiſſe æquè mortiferum eſt acſi quis ſani corporis vulnere exanguis factus eſt: ſiquidem ſubitæ ac immodicæ inanitiones proſternunt vltra modum robur virium, exanimántque hominem.

APHOR. XXVIII.

ΕὐνοῦχοΙ οὐ ποδαγριῶσιν, οὐδὲ φαλακροὶ γίνονται.

Nec podagra nec area caſtratos inuadunt.

Hoc

Hoc Aphoriſmo autor eſt Hippocrates caſtratos liberari cùm areis tũ podagræ doloribus.etenim recreſcit omnis pernicies inutilis materiæ, quæ vtrumque mouet ex robore verendorũ,quæ tamen manent languidiſsima caſtratis, quibusmitior quum ſit labes humorũ virúſque,ægrè cruciare poteſt articulos,capútque nudare,neque attenuare capillitiũ. Deinde nunc agit de areis & podagra,quibus ferè nõnullæ hominũ familiæ patent.nam qui ex his caſtrantur,mouentur à ſuo corporis habitu, feréque caſtrati liberantur lue elephantica,cui parentes patent.

APHOR. XXIX.

Γυνὴ οὐ ποδαγριᾷ, ἢ μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇ ἐκλίπῃ.

Mulier haud laborat podagra, niſi à menſtruis defecta eſt.

CERTVM eſt menſtrua profluuia detrahere inutilem materiam,ac reprimere grauiores eius noxas. his ergo remoratis ingraueſcit intus cõdita labes humorum, & ocyſsimè incũbit articulis. Neque Seneca poteſt eſſe in pretio,quum illudit Hippocrati,ratus fluores menſium haudquaquam inhibere ſæuiſsimam podagram, quam ſæpe mulieres experiuntur ſimul cum menſtruo profluuio. Nihilominus eſt dilucidum,ſæuiente podagra aut menſes parcius ferri,& noxia quadam ratione fluere aut remorari radicitus, neque ruunt ſimiles ſanis.ídque perhibet Hippocrates.

APHOR. XXX.

Παῖς οὐ ποδαγριᾷ πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ.

Infans ante veneris uſum haud laborat podagra.

HIS literis non ſignificat venerem eſſe cauſam podagræ,verùm ſimul atque ætas eſt idonea ad veneris vſum,quiſque experitur grauiorem labem humorum,

& maiorem fœditatem inutilis materiæ, quæ ſubit diuerſas corporis partes,& negotium faceſsit: ſiquidem tenera molliſque ætas ſētit cuncta mitiſsima & efflat odorem ſuauiorem adultis.

APHOR. XXXI.

Ὀδύνας ὀφθαλμῶν ἀκρητοποσίη, ἢ λουτρὸν, ἢ πυρίη, ἢ φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη λύει.

Meracæ potiones, aut balnea, aut fomenta, aut medicationes ſoluunt cruciatus oculorum.

Hoc Aphoriſmo paucis perſtringit diuerſa præſidia oculorum laborantium: ſiquidem iuuantur medicationibus, quia detrahunt vitioſam materiam ex oculis,deinde auxiliantur fomēta. nam diſcutiunt placántque noxas humorum qui malè habent oculos. Meracæ etiamnum potiones, vinúmque ſumptum iam dolore leuato, atque vbi conſtitit pituitæ curſus, eodem planè modo diſcutiunt tolerabiles reliquias, ac balneum: namque vires firmant ex vini abſtinentia inualidiores, viſum exacuunt, citant ſomnum, finiúntque labem humorum omnium. Porro vinum ſit lene, ſubauſterum, modicè vetus, neque effuſè neque timidè offeratur, ne ſequatur vlla corruptio periculoſa, in qua vinum ocyſsimè putreſcit.

APHOR. XXXII.

Τραυλοὶ ὑπὸ διαῤῥοίης μάλιστα ἁλίσκονται μακρῆς.

Balbi maximè corripiuntur longis alui deiectionibus.

Hoc Aphoriſmo ſignificat blæſos ex morbis atrociſsimis, qui quum liberantur aluo liquida diu manet nec maturè deſiſtit ob immodicos virium lapſus.

APHOR. XXXIII.

Οἱ ὀξυρεγμιώδεες οὐ πάνυ τι πλευριτικοὶ γίνονται.

Qui ructus acutos edunt vix laborant latere.

HIC

Hic Aphoriſmus eſt proprius morbis inteſtinorũ &ventris roſionibus quas mouent acres humores,ſalſi,fellei,& peracuti,vbi morãtur intus.Cæterò ructus acutus teſtatur vaporari humores ſuprapoſitos,leniri virus eorum,&molliri intolerabiles roſiones ventris.

APHOR. XXXIIII.

ΟΚόσοι φαλακροὶ,τούτοισι κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίνονται· ὁκόσοισι δ' ἂν φαλακροῖσιν ἐοῦσι κιρσοὶ ἐπιγένωνται,πάλιν οὗτοι γίνονται δασέες.

Vaſti uarices haud exoriuntur laborantibus area :ubi uerò caluis emergunt uarices,rurſus redit capillitium.

SOLE clarius eſt, areas ſequi labem humorum,qui emortua ſumma pellicula initio pilos extenuãt, pòſt excidũt,vnde ictus locus fundit ſanguinem mali odoris, liquidum & corruptum. Cæterò vaſtiſsimi varices detrahunt labem humorum,qui caput nudant.

APHOR. XXXV.

ΤΟῖσιν ὑδρωπικοῖσι βὴξ ἐπιγενομένη,κακόν.

Tuſſis accedens laborantibus aqua ſubeunte cutem,numeratur in malis.

CONSTAT omnibus aquã int er cutem raròad ſanitatem perduci,maximéque ſi cœperit ex morbis acutis:eodem planè modo tuſsis tollit ſpem omnem.Etenim teſtatur labem humorum in pulmones irruere, implere thoracẽ,viſceribúſque internis iam faceſſere negotium.

APHOR. XXXVI.

ΔΥσουρίην φλεβοτομίη λύει· τέμνειν δὲ τὰς εἴσω.

Vrinã difficilẽ ſoluit vena pertuſa nihilominus extũditur interna.

Hoc Aphoriſmo autor eſt Hippocrates, vrinæ anguſtias iuuari vena pertuſa:ſiquidem mollit inflammationes podicis,vuluæ,veſicæ,renũ & partiũ vicinarum

vrinæ canalibus:liberat ſuo farctu vrinæ emiſſaria,detrahit etiamnum materiam ſuperuacuam & corruptam,quæ pręcludit vrinę curſum. Nihilominus licet extundere venas poplitis aut quæ internas crurum partes ſubeunt. Nam rectitudine quadam ſuccurrunt traditarũ partiũ incõmoda,& liberant vrinæ canales.

APHOR. XXXVII.

Υπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα γίνεσθαι ἐν τῷ τραχήλῳ, ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νούσημα.

Angina correptis colli tumorem fieri bonum eſt: ſiquidem morbum transſfert in partes externas.

SOLE clarius eſt, iugiter periclitari anginæ vitium, ſi intercludantur eſcarum canales, ſimúlque ſpiritus, deinde ſubit partes internas, mouet tuſsim, pulmones malè habet, & creat noxas internorũ viſcerũ: tamẽ ſalutis indicium æſtimatur, ſi liberatis locis intus abditis erumpit extrorſum, excitat colli tumorem febre quieſcente, nec potionis meatus morbo laborant.

APHOR. XXXVIII.

Οκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον. θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως· μὴ θεραπευόμενοι δὲ, πλείω χρόνον διατελοῦσι.

Latentia carcinomata melius eſt non curare. nam curatione adhibita maturius trucidant: verùm ſine curatione diutius morantur.

H o c Aphoriſmo diſiungit duo carcinomata, ſiue ſint vlcera, ſiue tumores ſine vlcere. Etenim vel includuntur quodam quaſi velamento, ſiue tunica, qua exciſa velvſta protinus quieſcunt, vel carent omni folliculo, nec vlla medicina proficit: quoniam aduſta ſubitò concitantur & recreſcunt, donec occidant: exciſa quæque poſt inductam cicatricem reuertuntur & cauſam mortis adferunt. Nihilominus tutũ eſt, mammarũ carcinomata ex toto incidere iuxta ac ſcrotum ſimul cum teſtibus radicitus plerumque tollitur. Licet etiam opinari abdita carcinomata, quia emergunt

ex interna

ex interna corruptione, quæ aſsiduè rigat ſedē morbi, neque oriuntur ex ictu, neque ex aliis cauſis externis. Porro carcinomata, Celſo autore, maximè exercent faciem, nares, aures, labra, mammas fœminarum, iecur ac ſplenem: circa locum quædam quaſi puncta ſentiuntur, íſque immobilis, inæqualis tumet, interdum etiam torpet, circa eum inflatæ venæ recuruantur: nonnunquam etiam in quibuſdam deliteſcunt, tactúſque is locus aliis dolorē mouet, in aliis dolorem non habet: quandoque ſine vlcere durior ac mollior eſt: his omnibus interdum vlcus accedit.

APHOR. XXXIX.

Σπασμὸς γίνεται ἢ ὑπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος· οὕτω δὲ καὶ λυγμός.

Ex plenitudine vel inanitione ſpaſmus oritur: ſic etiā emergit ſingultus.

Hoc Aphoriſmo autor eſt Hippocrates, ſpaſmum & ſingultum fieri cùm ex materia ſuperuacua, quæque onerat ægrotos aut corrupta eſt, tum ex materia deficiente, quæque nocet viribus infirmis. Quocirca vterque pugnādus eſt vel tolerabili corporis refectione, vel ex inanitione materiæ inutilis.

APHOR. XL.

Ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνοι γίνονται ἄτερ φλεγμονῆς, τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸν πόνον.

Vbi præcordiorum cruciatus ſine inflammatione ſunt, febris ſubſequens eſt præſidio.

Hoc Aphoriſmo cruciatus præcordiorum ſine inflammatione demonſtrant inteſtinorum vitia & alui roſiones, quas febres facilè molliunt: ſiquidem dimouent corpus ab eo ſtatu quo detinetur, necnon euocant ex aluo ac inteſtinis noxas humorum qui loco roſionis præcordiorum febrem creant: eodem planè modo febris eſt fortuitum præſidium conuulſionum. namque elicit à tergo malos humores, qui toto corpore fuſi febrem mouent, éxque eo abducitur corpus

ab eo ſtatu quo laborat.

APHOR. XLI.

ΟΚόσοισι διαπύου τι ἐὸν ἐν τῷ σώματι μὴ διασημαίνει, τουτέοισι διὰ παχύτητα τοῦ πύου ἢ τοῦ τόπου οὐκ ἀποσημαίνει.

Quum alicuius ſuppurationis in corpore nullum indicium eſt, propter craſſamen purulentum aut locum nullum indicium eſt euidens.

Hoc Aphoriſmo comprehendit collectiones & vomicas quas intus conditas plerumque difficiliter cernimus, niſi mente & ratione intelligantur, quia ſequuntur inflãmationes, dolores ac febres ſolito grauiores: æquè quoque vbi ſubeunt extremas corporis partes, fatigant manum ſummã, pedem, & partes ſenſibus ſubiectas, neque apparent manifeſtè, purulentum craſſamen reddit collectiones ſimiles ſcirrhis, nec facilè deprehenduntur.

APHOR. XLII.

ΕΝ τοῖσιν ἰκτεριώδεσι τὸ ἧπαρ σκληρὸν γίνεσθαι, πονηρόν.

In morbo arquato durum fieri iecur, pernicioſum eſt.

Hoc Aphoriſmo metitur periculoſas fellis ſuffuſiones ex duro iocinore, quoniam lumen laborat aliqua inflammatione, ſcirrho, aut collectionibus, quæ corpora pallore decolorant, intendunt omnem humorum perniciem, neque ſunt ſine metu.

APHOR. XLIII.

ΟΚόσοι σπληνώδεες ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τουτέοισιν ἐπιγενομένης μακρῆς τῆς δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται.

Quos lienis malè habet, & dyſenteria prehenduntur, dyſenteria diutius trahente ſequitur aqua inter cutem, vel inteſtinorum leuitas, & mortem obeunt.

Sole clarius eſt, acria tormina iuuare lienoſos, maximéque ſi tolerabilia ſunt: ſiquidem extrahunt omnem labem humorum qui ſplenem indurant: nihilominus vbi moram prorogant, profligant ſine

modo

modo robur virium, ſequuntur intolerabilem perniciem humorum qui malè habent interna viſcera, tranſeunt in aquam inter cutem, aut leuitatem inteſtinorum, adferúntque interitus periculum.

APHOR. XLIIII.

Ὁκόσοισιν ἐκ στραγγουρίης εἰλεὸς ἐπιγίνεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ.

Morbus tenuis inteſtini ex ſtranguria orſus, iugulat intra diem ſeptimum, niſi febre accedente vrina abundè profluxerit.

NVNC comprehendit mortales vrinæ anguſtias, ac vbi cohibetur præter modum eius curſus: quod quum tenuibus inteſtinis negotium faceſſit, creat eorum vitia, recreſcunt incommoda vrinæ remoratæ, vires proſternunt vltra modum, incutiúntque terrorem, niſi febre accedente liberentur vrinæ emiſſaria, cáque fertur liberaliter, aliò euocatis malis humoribus, qui vrinæ canales intercluſerant, atque per febrem mutato corpore ab eo ſtatu quo laborat.

APHOR. XLV.

Ἕλκεα ὁκόσα ἐνιαύσια γίνεται, ἢ μακρότερον χρόνον ἴσχουσιν, ἀνάγκη ὀστέον ἀφίστασθαι, καὶ τὰς οὐλὰς κοίλας γίνεσθαι.

Vbi vlcera annua ſunt, vel porriguntur in longum tempus, neceſſarium eſt os abſcedere & cauas cicatrices fieri.

HOC Aphoriſmo perpurgat cauſas vlcerum quæ longum tempus habēt, nec facilè ſanātur. intus enim ſubeſt os carioſum, ex quo fertur mala ſanies, nec vlla medicina proficit niſi oſſe detracto. nam pòſt ſtatim caua cicatrix obducitur.

APHOR. XLVI.

Ὁκόσοι ὑβοὶ ἐξ ἄσθματος ἢ βηχὸς γίνονται πρὸ τῆς ἥβης, ἀπόλλυνται.

Quum gibbi ex tuſſi vel ſuſpirio naſcuntur, ante pubertatem oppetūt.

HIS literis perhibet gibbū mortiferum, quia concitatur ex tuſsi vel difficili ſpiritu, ſequitur pulmonum incommoda, quæ malè habent ſpinam, verte

bras suo loco pellunt, terga vertũt in tumorem: quæ quum ante pubertatem sunt, crescúntque pubescentibus simul cũ noxis pulmonum, fermè transeunt in collectiones mortiferas, vel toto loco vertebras promouent, & sunt causæ mortis.

APHOR. XLVII.

Ὁκόσοισι φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη ξυμφέρει, τουτέους προσήκον τοῦ ἦρος φλεβοτομεῖν, ἢ φαρμακεύειν.

Vbi venam extundere aut medicari conducit, par est vere medicari, venámque secare.

Hic Aphorismus est proprius morbis qui humoris motu nouari solent, verùm iuuantur cùm medicationibus, tum vena pertusa, quoniam detrahunt noxas humorum. Porro incommoda huius generis vere potissimum sunt in metu, quo tempore reuiuiscunt ex terra nascentia, nouatur corpus humanum, noxæque omnes quibus quisque patet, facilè redeũt.

APHOR. XLVIII.

Τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγενομένη, ἀγαθόν.

Lienosis dysenteria accedens bono est.

Nemo ambigit, cùm tormina tum alui fluores mulcere incommoda lienis, scirrhũ, eiúsque magnitudinem, quia detrahunt labem humorum qui splenem malè habent: nihilominus requiritur tolerabile profluuium alui.

APHOR. XLIX.

Ὁκόσα ποδαγρικὰ νοσήματα γίνεται, ταῦτα ἀποφλεγμήναντα ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀποκαθίσταται.

Podagræ inflammatione intra diem quadragesimum finitur.

Nemo ambigit, vitia articulorum, dolores tumorésque fieri ex pernicie humorum, acri materia, salsa, fellea, quæque ex toto corpore & locis internis euocatur, subit iuncturas, & sua labe mouet inflammationem, quæ diu moratur in neruosis partibus & locis

locis ſine ſanguine.

APOR. L.

Ὁκόσοισιν ἂν ὁ ἐγκέφαλος διακοπῇ, τούτοισιν ἀνάγκη πυρετὸν καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγίνεσθαι.

Si cerebrũ vulnus accepit, febres vomitúſque bilioſi neceſſariò ſequũtur.

Hoc Aphoriſmo declarat ictus cerebri terrorem incutere, quia profligant ſtomachum, effundúntque in felleas vomitiones, febrem mouẽt, & exaſperant diſſonas humorũ corruptiones. Cæterò plerumque ictus cerebri aſsiduo pulſu eructant quaſdam eius maſſulas, nec facilè mendacium ſentiunt.

APHOR. LI.

Ὁκόσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδύναι γίνονται ἐξαίφνης ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται, καὶ ῥέγχουσιν, ἀπόλλυνται ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ. Σκοπεῖν δὲ χρὴ καὶ τὰς ὑποφάσιας τῶν ὀφθαλμῶν ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν. ἢν γάρ τι ὑποφαίνηται ξυμβαλλομένων τῶν βλεφάρων τοῦ λευκοῦ, μὴ ἐκ διαῤῥοίης ἐόντι ἢ ἐκ φαρμακοποσίης, φλαῦρον τὸ σημεῖον καὶ θανατῶδες σφόδρα.

Quibus ſanis ſubitus dolor capitis oritur, deinde protinus vocem ſupprimunt, ac ſtertore premuntur, pereunt intra diem ſeptimum, niſi corripiantur febre. Licet etiamnum per ſomnũ intueri ſublucentes oculos. nã ſiquid album appareat commiſſis palpebris, neque ex alui profluuio, neque epoto pharmaco, malum ſignum & valde mortiferum naſcitur.

Nunc Hippocrates perpurgat attonitos ex morbo & grauiſsimo cruciatu capitis. nã interdũ naſcuntur ex ictu fulminis: eos ſanè Græci appellãt apoplecticos & paraplecticos quorum corpus ac mens ſtupet. Nihilominus interdũ ſeruantur febre tolerabili, quæque diſcutit omnẽ ſtuporẽ, & ſegnitiẽ aufert: tamen plerique ſimul cũ febre decedũt. Ideóque ne in futurũ prænũtiãdo fruſtretur medicus, Hippocrates ſubiicit ſigna lethalia eorum quibus mens & corpus ſimul ſtupore premuntur, perhibentúrque ex mor-

bo attoniti: namque vbi grauantur ſopore, vel dormiunt palpebris obductis, nihilominus apparent oculi quodammodo lucere, atque inter palpebras ex albo nonnihil deprehenditur, ſignum eſt vires vltra modum profligari, nec iam palpebras committi vt decet, niſi id excitent ventris profluuia, aut medicationes, aut fatigationes quibus medici vltra modum ſæpe vexãt ægrotos. qúumque ſalutis & ſecuritatis multa ſint indicia, autore Plinio (nã permulti in ipſis funeribus reuixerunt: ídque potiſsimũ apparet attonitis quos frequenter liberari animaduertimus, mora accedente, quoniam reualeſcit natura) iam Hippocrates ſigna lethalia cõprehendit.

APHOR. LII.

Αἱ παραφροσύναι, αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γινόμεναι ἀσφαλέστεραι· αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς, ἐπισφαλέστεραι.

Deſipientiæ iocoſæ ſecuriores exiſtunt: quæ quum ſeriò exoriuntur, ſunt magis periculoſæ.

Hoc Aphoriſmo Hippocrates ſeparat duplicem inſanum. etenim alius ſerius eſt ac deſipit in rebus ſeriis, & grauius vexatur. neque enim deprehẽditur vllo modo ſapere: alius mouet ſolùm iocos inſanos, nec ſeriò delirat.

APHOR. LIII.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσι τοῖσι μετὰ πυρετοῦ αἱ κλαυθμώδεες ἀναπνοαὶ, κακαί.

In acutis affectibus cum febre luctuoſus ſpiritus eſt in malis.

His literis perſequitur pericula morborum acutorum qui iunguntur cum febre. Porro terrorem incutiunt vbi ſpiritus ægrè trahitur, malè habent pulmones, profligántque interna viſcera ſine modo. Cæterò dixit acuta quæ grauius nos inuadunt.

APHOR.

APHOR. LIIII.

ΤΑ ποδαγρικὰ τοῦ ἦρος καὶ τοῦ φθινοπώρου κινέεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Τοῖσι μελαγχολικοῖσι νουσήμασιν ἐς τάδε ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποσκήψιες, ἢ ἀποπληξίην τοῦ σώματος, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίην, ἢ τύφλωσιν σημαίνει. Ἀπόπληκτοι δὲ μάλιστα γίνονται ἡλικίῃ τῇ ἀπὸ τεσσαράκοντα ἐτέων ἄχρις ἑξήκοντα.

Podagra persæpe vere ac autumno mouetur. Per hæc etiam mum morbis ab atra bile abscessus sunt periculosi, denuntiant vel, resolutionem corporis, vel neruorum contractionem, vel dementiam uel obcæcatos oculos. Sed ab anno ætatis qudragesimo ad sexagesimum usque nerui maximè resoluuntur.

PRINCIPIO huius Aphorismi significat podagrã fieri ex inutili materia, quæ per æstatẽ ac hyemẽ fermè cumulatur, crescítque ei⁹ pernicies vere ac autũno, & malè habet articulos. Proinde curioso victu cauere oportet, ne inutilis humor corpori superſit: atque æquum est cùm vomitu tum alui ductione purgare materiam superuacuam, siquis in corpore metus insit. Cæterũ his literis Hippocrates haud continet incommoda bilis atræ, sed vulgari sermone vsus appellat bilis atræ morbos, vbi mẽs occupatur vanis ac tristissimis cogitationib⁹, nec sapit vt ratio postulat. Cuius vtique mali causæ sunt corrupti humores, qui fatigant sedem mentis, cámque perpetim solicitant: vere autem ac autumno vniuersa incommoda humorum protinus intenduntur. Idcirco scienter tradidit Hippocrates, per hæc tẽpora veris ac autũni periclitari abscessus & vitiosos humores, qui ex cerebro & sede mentis in aliquam partem incumbunt, siquis implicatur atra bile, morbo. nam recrescit omnis corrupta materia, acerbius exercet cerebrum & locũ mentis, contrahit neruos, resoluit, supprimit vocem, mentem turbat, obcæcátque oculos. Iam verò prænuntiat futuras neruorum resolutiones per ætatem senilem, quum ex morbo bilis atræ vere

ac autumno humores peſtiferi in aliquam partem irruũt. etenim teſtantur ſedẽ mentis triſtiſsimæ occupari ingeſtabili pernicie humorũ qui aliò ſe inclinãt. Verùm ab anno ætatis quadrageſimo ad ſexageſimum, vbi cuncta ſunt inualidiora, neruíque hebetiores protinus reſoluuntur:ſed per eam ætatem homines experiuntur propemodum cuncta mitiora:ideóque difficilius inſaniunt, & ſentiunt conuulſiones. verùm hebeſcit neruoſum corpus, atque ex immodico & inſueto viriũ lapſu oritur reſolutio neruorũ, Hũc ſanè Aphoriſmũ temerè obſcurauit Galenus.

APHOR. LV.

HN ἐπίπλοον ἐκπίσῃ, ἀνάγκη ἀποσαπῆναι.

Vbi omentum prolabitur, neceſſariò putreſcit.

Hic Aphoriſmus priuatim accommodatur ventri diſcuſſo, ceu vulnerato, ex cuius ictu prolabitur omentũ, nec fruitur ſuis viribus: verùm ſereſcens ex inſueto ſpiritu, neceſſariò putreſcit, laborat cancris, licétque prçcidere quicquid lapſum & alienatum eſt: æquè quoque inteſtina euoluta momento alienantur circumdata externo ac inſueto ſpiritu.

APHOR. LVI.

OΚόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης ἐξίσταται τὸ ἰσχίον, καὶ πάλιν ἐμπίπτει, τουτέοισι μύξαι ἐπιγίνονται.

Vbi coxis diutino tempore laborantibus femur excidit, ac iterum reponitur, mucoſa incidit materia.

Hic Aphoriſmus eſt proprius diutinis doloribus coxarum, quibus fœmina identidem loco pelluntur & reddũtur facilé. tradit autem mucoſam fieri materiam quæ malè habet coxas, & femora ſuo loco promouet. nam lubricũ reddit locum, nec poteſt fœmina continere. Elicitur vtique mucoſa, quoniam facilè reducitur femur lapſum: nihilominus interdum in vomicam tranſit coxarum dolor, qui diu manet: verùm

verùm inhibet femoris facilem repositionem, aliàs concitatur ex inutili materia, quæ fit mucosa, gignit lubricum articulum: neque solùm fœmina labuntur suo loco ex ictu & causis externis. nam plerumque intus subest labes humorum, qui fœmina loco dimouent, nec facilè reponuntur, quia iterum excidunt intus manente mali causa.

APHOR. LVII.

ΟΚόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης, τὸ ἰσχίον ἐξίσταται, τουτέοισι τήκεται τὸ σκέλος, καὶ χωλοῦνται, ἢν μὴ καυθῶσιν.

Vbi vitio coxarum diutius trahente femur excidit, consumitur macie, atque nulla adhibita vstione truncatur.

HIC Aphorismus est peculiaris diutinis doloribus coxarum, quibus fœmina loco mouentur, nulla accedente causa externa prolapsus: leuantur autem cremantibus médicamentis, & facta vlceratione. nam per vlcera euocatur humorum labes, & coxarum incommoda desistunt. Certè tolerabilis existit vlceratio subtus genu externa parte tibiæ, liberátque protinus coxas : sin autem in prima ætate procidit femur, ferè manet hebes crus integrum, & truncantur ægroti, néc absque scipione iter faciunt, neque alitur in posterum quod lapsum est, tum excæcatis riuulis sanguinis quibus alitur, tum etiam quia otio languescit: vbi verò plenum est corporis incrementum, & femur excidit, vix tabescit: nihilominus truncum remanet. Lege librum articulorum, cap. de femore.

CLAVDII CAMPENSII MEDICI IN SEPTIMAM SECTIONEM APHORISMORUM HIPPOCRATIS Annotationes.

Aphor. I.

EN τοῖσιν ὀξέσι νουσήμασι ψύξις ἀκρωτηρίων, κακόν.

In morbis acutis extremarũ partium frigus oritur perniciale.

Hoc Aphoriſmo metitur pericula morborum acutorum ex frigidis extremitatibus.etenim teſtãtur lãgueſcere interna viſcera,nec ſufficere calorem externis partibus, quanuis intus flagrent,& contineant mali cauſam.

Aphor. II.

EΠὶ ὀστέῳ νοσέοντι σὰρξ πελιδνὴ, κακόν.

Vitiato esse liuidum corpus in malis numeratur.

Hoc Aphoriſmo licet intelligere os pingue, aridum, nigrum, quódque integrum non eſt:vt quũ finditur, frangitur,foratur.colliditur,loco mouetur, aut corrumpitur. Porro oſſa citiſsimè vitiantur illatis grauiſsimis vlceribus,aut fiſtulis, híſque aut longa vetuſtate, aut etiam cãcro occu patis. Sed liuores qui ſequuntur os vitiatum, denuntiant cancrum aut gangrenã ſubeſſe, maximéque vbi accedunt febres doloréſque ſæuiſsimi.

APHO-

APHOR. III.

EΠὶ ἐμέτῳ λύγξ καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ, κακόν.

Ex vomitu singultus oculorum que rubor numeratur in malis.

HOC Aphorismo declarat duabus de causis æstimari pestiferos vomitus: primò quia singultū mouēt, subuertunt stomachum, & robur virium infirmant: deinde malè habēt oculos, eos inflāmant, sunt ingestabiles, & sursum facessunt negotium. Iam haud celebrantur qui tradunt nunc Hippocratem perpurgare inflammatum cerebrum.

APHOR. IIII.

EΠὶ ἱδρῶτι φρίκη, οὐ χρηστόν.

Ex sudore horror in bonis non est.

HIC Aphorismus est proprius sudatoribus, & quibus corpora sudore digerūtur: siquidē horrores ceu tremores qui sequuntur sudorē, denuntiant neruorū incommoda, nec sudore fuso manere corpus integrum.

APHOR. V.

EΠὶ μανίῃ δυσεντερίη, ἢ ὕδρωψ, ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν.

Ex insania dysenteria, vel hydropicum malum, vel pauor in bonis numerantur.

NVNC persequitur salutē desipientiū, quia iuuantur torminibus, & quocunque modo vēter fluxerit: siquidem auocat à sede meatus omnem humorum corruptelam. Ad hæc desipiētes sanantur aqua subtus cutem fusa. abducit enim corpus ab eo statu in quo est, elicit ex internis visceribus labem humorū, extrorsum euocat, & liberat meatus sedem: subitò etiānū terreri & expauescere corpus prodest insanientibus, & ferre quicquid animum perturbat, in hoc morbo conducit. namque ob idipsum fit quædam

mutatio,mouetúrque mens ab eo ſtatu quo laborat.

APHOR. VI.

EΠὶ νούσῳ πολυχρονίῃ ἀποσιτίη καὶ ἄκρητοι ὑποχωρήσιες, κακόν.

Ex malis diutinis ciborũ faſtidia & ſinceræ deiectiones vitioſæ exoriuntur.

Hoc loco demonſtrat pericula morborum qui lõgum tempus habẽt, æſtimari ex ciborum faſtidio, quia ferè hebetãt corporis refectionẽ,& vires firmas vltra modum profligant. Deinde põderantur ex meracis deiectionibus,quę modò puram bilem , aut pituitam reddunt, ac ſine vlla miſtura :ideóque deterior eſt & magis noxia. moderatur enim vtriuſque labes miſto altero humore, donec mitior ſit bilis, quæ pituitę admiſcetur.

APHOR. VII.

EΚ πολυποσίης ῥῖγος καὶ παραφροσύνη, κακόν.

Ex liberali potatione rigor & deſipientia ſunt in malis.

Hoc Aphoriſmo metitur temulentiam periculoſam ex rigore & inſania:nã rigor docet immodicos virium lapſus,neruorum incommoda, & vitia corporis à tergo:deinde mens alienatur,necnõ plerumque ſimul cum corpore ſtupet ex pernicie eorũ quæ mouent ebrietatem.

APHOR. VIII.

EΠὶ φύματος ἔσω ῥήξεως ἔκλυσις, ἔμετος καὶ λειποψυχίη γίνεται.

Ex interna ruptione tuberculorum naſcitur diſſolutio, exanimatio & vomitus.

Nemo negat atrox vitium frequenter incumbere in aliquam partem corporis,& mouere collectiones intus conditas, quæ quum erumpunt,vires infirmant , exanimant hominem,ſtomachum in vomitiones effundunt, neque metu carent: nihilominus quandoque

quandoq; rupta vomica pus tolerabiliter fertur aluo, ore, vrina, & liberat hominem.

APHOR. IX.

Ἐπὶ αἵματος ῥύσει παραφροσύνη ἢ καὶ σπασμὸς, κακόν.

Ex ſanguinis curſu deſipientia vel etiam ſpaſmus numeratur in malis.

HOC Aphoriſmo perluſtrat terribiles effuſiones ſanguinis ſiue ex ictu & cauſa externa, ſiue ſponte accedãt, quoniam vires ſine modo proſternũt, mentem turbant, contrahúntque neruos ex impetu eorũ quæ intus manẽt, nec moderãtur reb⁹ que deſunt.

APHOR. X.

Ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος, ἢ λύγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Ex morbo tenuis inteſtini vomitus aut ſingultus, aut ſpaſmus, aut delirium, mala ſunt.

HIC Aphoriſmus peculiariter accommodatur morbis inteſtinorum quibus ex toto venter contrahitur, donec ſpiritũ trãſmittere nequeat. Cęterò terrorem incutiunt vbi malè habent ſtomachum, euertunt in vomitiones, fatigant ſingultu, diſtendunt neruos, & mentem feriunt effuſo virium robore.

APHOR. XI.

Ἐπὶ πλευρίτιδι περιπλευμονίη, κακόν.

Laborante latere vitia pulmonum in malis numerantur.

DOLORES lateris apud Hippocratem duo continent: quia vel ſunt morbi inteſtinorum, vel coſtarum thoracíſque cruciatus, quibus omnibus hæc conuenit ſententia. namque morbi inteſtinorum, & inferiorum partium periclitantur quũ malè habent pulmones: æquè quoque dolores thoracis ceu coſtarum ex ſuſpiriis incutiunt metum.

APHOR. XII.

Ἐπὶ περιπλευμονίῃ φρενῖτις, κακόν.

Pulmonibus dolentibus phrenitis eſt pernicioſa.

NVNC metitur pericula morborum acutorum, pulmonum laborantium ex alienata mẽte. namque satis est corpus morbo fatigari, ita mens debet sana manere.

APHOR. XIII.

Ἐπὶ καύμασιν ἰσχυροῖσι σπασμὸς ἢ τέτανος, κακόν.
Ex magnis feruoribus tetanus vel spasmus in malis est.

Hoc Aphorismo perpurgat febres ardentes intolerabiles, quia neruos contrahunt, mouent ceruicis incommoda, & exasperant langorem virium.

APHOR. XIIII.

Ἐπὶ πληγῇ ἐς τὴν κεφαλὴν ἔκπληξις ἢ παραφροσύνη, κακόν.
Ex ictu capitis stupor vel desipientia in malis reponuntur.

Hoc Aphorismo perlustrat grauissimos capitis ictus, quia stupore mẽtis & corporis nos opprimunt, mentem turbant, & caluariam collidunt.

APHOR. XV.

Ἐπὶ αἵματος πτύσει πύου πτύσις, κακόν.
Ex screatu sanguinis sputum purulentum vitiosum est.

NVNC metitur screatus sanguinis periculosos ex sputo purulẽto: siquidem ostendit tetra pulmonum vlcera, vel intus subesse grauissimas suppurationes.

APHOR. XVI.

Ἐπὶ πύου πτύσει φθίσις καὶ ῥύσις· ἐπὴν δὲ τὸ πτύελον ἴσχηται, ἀποθνήσκουσιν.
Ex puris sputo phthisis & fluores: quumque sputum cohibetur, intereũt.

Hoc Aphorismo declarat sputum purulentum terrorem incutere, quia macie cõsumit ægrotos, reddit corpora fluida, & officit nimio langore virium. Porro denuntiat subesse vlcera pulmonum & viscerum internorum: qũũque malo victa natura sputum moratur, spes salutis est posita in angusto.

APHOR. XVII.

Ἐπὶ φλεγμονῇ τοῦ ἥπατος λύγξ, κακόν.
Ex iocinoris inflammatione singultus in malis habetur.

NVNC

NVNC persequitur graues inflãmationes iocinoris, quia subuertunt stomachum, mouent cõtinuos & frequentes singultus, citant vomicas, & persæpe iecur cancris inuadunt.

APHOR. XVIII.

ΕΠὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς ἢ παραφροσύνη, κακόν.
Ex peruigiliis spasmus & desipiẽtia mala sunt.

HOC Aphorismo damnat peruigilia, quia gignũt spasmum, mentem feriunt, nocent nimia virium infirmitate, & exigũt materiam quæ cuncta sustinet.

APHOR. XIX.

ΕΠὶ ὀστέου ψιλώσει ἐρυσίπελας.
Ex osse nudo erysipelas adfert perniciem.

HIC Aphorismus est proprius malis vlceribus quibus ossa omni velamento nudantur, neque metu carent, si corripiantur cancris aut erysipelate: siquidem procedit cum dolore ac inflammatione, cuncta facilè depascit, & noxas omnes exasperat.

APHOR. XX.

ΕΠὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδὼν ἢ ἐκπύησις, κακόν.
Ex erysipelate cancer vel suppuratio numerantur in malis.

HOC Aphorismo comprehendit erysipelas horridum, quia suppuratur aut putrescit: siquidem comitatur labem humorum difficilem ad medendum, quæque haud potest vaporari nec vanescere, sed in tetra vlcera transit. Cæterò erysipelas, Celso autore, cancer est quũ supra inflãmationem rubor vlcus ambit, serpitque cum dolore. Græcis enim cancer in varias species diducitur: sed Latinis modò subest cancri nomen.

APHOR. XXI.

ΕΠὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμοῤῥαγίη, κακόν.
Ex vehementi vlcerum pulsu vitiosum est cruentum profluuium.

LIQVIDÒ constat in omni vlcere arcendum

esse sanguinis cursum immoderatum, & cuncta inflammationū incommoda, quia vires vltra modum profligant: sin autem vlcera motu vehementiore pelluntur, alicuius futuræ suppurationis augurium est: cuius loco exorsa profusio sanguinis vires infirmat, purationem moratur.

APHOR. XXII.

Ἐπὶ ὀδύνῃ πολυχρονίῃ τῶν περὶ τὴν κοιλίην ἐκπύησις.

Ex diutino cruciatu ventris sup puratio in malis habetur.

Hoc Aphorismo persequitur terribiles cruciatus ventris, & partium quibus viscera continentur, quia diu manent, ocyssimè transeunt in vomicas, quum aliâs non quiescant: deinde testantur materiam difficilem ad extrahendum.

APHOR. XXIII.

Ἐπὶ ἀκρήτῳ ὑποχωρήσει δυσεντερίη, κακόν.

Ex meracis deiectionibus tormina perniciosa existunt.

Hoc Aphorismo complectitur vitiosam aluum cuius deiectiones sunt puræ, & sine mistura humorū, quorum pernicies subinde mitigatur vbi miscentur inuicē: sin autem puri quum sint conferunt tormina, crescit labes omnis, neque lenitur.

APHOR. XXIIII.

Ἐπὶ ὀστέου διακοπῇ παραφροσύνη, ἢν κενεὸν λάβῃ.

Si partes inanes corripit ossis excisio, desipientia in malis est.

Hic Aphorismus perhibet horridas incisiones ossium, maximéque pertusam caluariam, si mentem feriat: nam desipientia docet crescere vires infirmas, potissimum vbi excisio internas ossium cauitates penetrat. Cęterò Hippocrates verbum κενεὸν nunc tribuit inanibus locis.

APHOR. XXV.

Ἐκ φαρμακοποσίης σπασμὸς, θανατῶδες.

Epoto pharmaco spasmus mortem adfert.

Est dilucidum duplici genere medicamentorum

aluum

aluum moueri:nam vel mollientibus ducitur, vel ca tharticis & virulentis, quæ quum excitant conuulsionem, nocēt nimia infirmitate, adferúntque interitus periculum.

APHOR. XXVI.

Ἐπὶ ὀδύνῃ ἰσχυρῇ τῶν περὶ τὴν κοιλίην ἀκρωτηρίων ψύξις, κακόν.

Ex graui dolore ventris extremitatum frigus adfert perniciem.

NVNC autor est Hippocrates, periclitari dolores ventris & partium internarum, quia vires vltra debitum profligant: iámque malo victa natura extremitates frigus corripit.

APHOR. XXVII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ τεινεσμὸς ἐπιγενόμενος, ἐκτρῶσαι ποιέει.

Mulieribus vtero grauido accedens assidua desidendi cupiditas abortū mouet.

HIS literis metitur abortus pericula ex assidua desidēdi auiditate, quoniā laxat vuluæ spiracula, prosternit vterū plenū, & facilè excutit quicquid intus est

APHOR. XXVIII.

Ὅ τι ἂν ὀστέον ἢ χόνδρος ἢ νεῦρον ἀποκοπῇ ἐν τῷ σώματι, οὔτε αὔξεται, οὔτε συμφύεται.

Præcisa ossa corporis aut cartilagines, aut nerui neque crescunt, neque glutinantur.

Vide sextam sectionem.

APHOR. XXIX.

Ἢν ὑπὸ λευκοῦ φλέγματος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγένηται ἰσχυρὴ, λύει τὴν νοῦσον.

Si albapituita laborantibus accedat vehemens alui resolutio, morbum soluit.

NVNC tradit quiescere aquam inter cutem aluo vehementius cita, quoniam tolerabiliter exigit cun-

cta aquarum incommoda, humorísque nimiam abundantiam.

APHOR. XXX.

Ὁκόσοισιν ἀφρώδεα τὰ διαχωρήματα ἐν τῇσι διαῤῥοίῃσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ὑγρὰ καταῤῥέει.

Vbicunque aluo fusa deiectiones exspumant, destillant ex capite.

CERTVM est flatuosas deiectiones exspumare: nihilominus nunc existimauerim comprehendi liquidam admodum materiam siue felleam siue aquosam, quę protinus exspumat & tenuis est, fertúrque aluo, ex capite & locis longissimis euocata. namque aluo proxima ferè spissantur, ruúntque mista escarum reliquiis.

APHOR. XXXI.

Ὁκόσοισι πυρέσσουσιν ἐν τοῖσι οὔροισι κριμνώδεες αἱ ὑποστάσιες γίνονται, μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσιν. Ὁκόσοισι δὲ χολώδεες αἱ ὑποστάσιες, ἄνωθεν δὲ λεπταὶ, ὀξεῖην ἀῤῥωστίην σημαίνει. Ὁκόσοισι δὲ διεστηκότα τὰ οὖρα γίνεται, τουτέοισι ταραχὴ ἰσχυρὴ ἐν τῷ σώματι ἐστίν.

Quum febriculosis crassa in vrina sidunt, testãtur morbum longũ: vbi verò biliosa pessumeunt, quaque sursum extenuantur, morbum acutum denuntiant. sin autem vrinæ emergunt dispares, oritur vehemens corporis turbatio.

HIS literis ex vrinis metitur dissonos impetus febrium, maximéque ex his quę in vrina sidunt. nã vbi spissantur aut innatant genituræ & caliginosæ nubi similia, vel suo mucoso põdusculo pessumeunt, testãtur vrinas procul dissimiles sanis, nec facilè vinci sedimenta crassa, ita febrem in longum tempus porrigunt: æquè quoque damnantur tenuissima contenta vrinarum, vt quæ doceãt vrinas admodum diuersas à sanis. Iure ergo celebrantur contenta lenia, quę inter vtrumque mediũ locum tenent, siue subsidunt siue inna-

in natantia visuntur. Adhæc perhibet æstimari morbos acutos, vbi crassa biliosa vrinis continentur, etiamsi tenuantur sursum. namque feruntur inequalia, & portendunt felleam materiam intus abditam esse quę concitat febres acutas. Cæterò subiicit vrinas dispares in quibus modò fellea subsidunt, aliàs crassa, nunc tenuissima: mox visuntur dilutæ, statim turbidæ & peruariæ, denuntiántque ingestabiles corporis afflictiones, nec redire firmum eius habitum, quum vitiosa sit vrinarũ omnis mutatio, nec sanas repręsentare appareat. Est dilucidum hunc Aphorismum perperam disiungi in tres partes.

APHOR. XXXII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ἐφίστανται πομφόλυγες, νεφριτικά σημαίνουσι, καὶ μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην ἔσεσθαι.

Quum in vrinis bullæ subsistunt, denuntiant incommoda renum, morbúmque longum fore.

NVNC demonstrat grauissimas vrinæ angustias ac vbi modò guttatim fertur, concitari vitio renum, quia vlcerantur, laborant calculis & malo insanabili. nihilominus in tenera ętate fermè vesicæ calnulus mouet vrinæ angustiam.

APHOR. XXXIII.

Ὁκόσοισι δὲ λιπαρὴ ἡ ἐπίστασις καὶ ἀθρόη, τουτέοισι νεφριτικὰ καὶ ὀξέα σημαίνει.

Quibus pinguia et repente copiosa sub.idunt, testantur incommoda renum, acutúmque morbum.

HOC Aphorismo perlustrat vitia renum, vlcera, & sęuissimas noxas, quoniã in vrinis pinguia, purulenta, & protinus copiosa pessumeunt, quæque ex vlcere renum ruunt & grauiter cruciant ægrotos.

APHOR. XXXIIII.

Ὁκόσοισι δὲ νεφριτικοῖσιν ἐοῦσι τὰ προειρημένα συμβαίνει σημεῖα, πόνοι τε περὶ τοὺς μύας τοὺς ῥαχιαίους γίνονται, ἢν μὲν περὶ τοὺς ἔξω τόπους γίνωνται, ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον ἔξω· ἢν δὲ μᾶλλον οἱ πόνοι πρὸς τοὺς ἔσω τόπους γίνονται, καὶ τὸ ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον μᾶλλον ἔσω.

Vbi laborantibus vitio renum incidunt testimonia suprapo sita, oriunturque dolores circa spinæ musculos, si externa parte nascūtur, existimandum est externos abscessus fore: si parte interna, magis sperandi sunt abscessus interni.

His literis denuntiat futuros lumborum abscessus ex dolentibus spinæ musculis, quia renes laborant, & subest vrinæ angustia. Porro sedes doloris docet partem occupatam abscessu ceu collectione: neque dubium est interdum renes ex traditis doloribus collectionibus occupari, siquidem dolor omnis qui moram prorogat, nec vinci potest vllis præsidiis, maturè transit in abscessum.

APHOR. XXXV.

Ὁκόσοι αἷμα ἐμέουσιν, ἢν μὲν ἄνευ πυρετοῦ, σωτήριον· εἰ δὲ ξὺν πυρετῷ, κακόν. θεραπεύειν δὲ τοῖσι ψυκτικοῖσι, καὶ τοῖσι στυπτικοῖσι.

Vbi sanguinem vomunt, si sine febre, salubre est: si cum febre, in malis numeratur. Caterò succurretur frigidis astringentibusq́ue.

Principio huius Aphorismi celebrat cruentos vomitus, quia sine febre nascuntur, neque vires infirmant, sed implent vicem effusionis mensium, hæmorrhoidum & assueti sanguinis cursus: sin autem febres moueant, nocent nimia infirmitate. imò verò retinere liceat tales sanguinis vomitus cùm astringentibus tum frigidis medicamentis, quoniam precludunt venarum canales, regerúntque sanguinem influentem.

APHOR. XXXVI.

Κατάῤῥοοι ἐς τὴν ἄνω κοιλίην ἐκπυοῦνται ἐν ἡμέρῃσιν εἴκοσιν.

Rheumatiſmi in ventrem ſuperiorẽ intra diem vigeſimũ ſuppurantur.

Hoc Aphoriſmo autor eſt Hippocrates futuram ſuppurationem thoracis & humorum qui ruunt in pulmones intra ſeptimanam triplicem. nam eodem planè modo lateris& pulmonum dolores tranſeunt in ſuppurationem, ſi neque per fomenta,neque per liquidam aluum,neque per ſanguinis detractionem,neque aliterquieſcũt,Ita rheumatiſmi in ſedem pulmonum qui diu manent nec finiuntur intra vigeſimum diem, mouent ſuppurationes, quia nullis aliis prçſidiis vincuntur.

APHOR. XXXVII.

HN οὐρέῃ αἷμα καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ περίναιον καὶ τὸ ὑπογάστριον καὶ τὸν κτένα, τὰ περὶ τὴν κύστιν νοσέειν σημαίνει.

Vbi vrina ſanguinem & ſtrigmenta reddit, corripitque ſtranguria, deinde cruciatur imus venter ac perinaeum. ſignum eſt veſicam laborare.

Vide quartam ſectionem.

APHOR. XXXVIII.

HN ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται, ἢ ἀπόπληκτόν τι τοῦ σώματος, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο γίνεται.

Vbi lingua protinus debilitatur aut reſoluitur quadam pars corporis, ſub eſt ex atra bile morbus.

Hoc Aphoriſmo perſequitur cauſas linguæ debilitatæ ſubitò,ſermonis ac vocis ſuppreſſæ,aut ocyſſimæ neruorum reſolutiones porro ſequuntur ex atra bile dementiam inexpugnabilem, aliquem veternum & capitis aliquod vitium atrox, aut mœrorem animi grauiſsimum.

APHOR. XXXIX.

HN ὑπερκαθαιρομένων τῶν πρεσβυτέρων λύγξ ἐπιγένηται, οὐκ ἀγαθόν.

Si ſenibus ſupra modum purgatis accedit ſingultus, haud bono eſt.

His literis Hippocrates damnat immoderatas purgationes vbi quis iam ſenuit,maximéque ſi ſequa

Hic Aphorismus est peculiaris acerbissimis morbis intestinorum, qui malè habent stomachum, vexant sedem iocinoris, & partes quibus viscera continentur. Cæterò quiescunt accedente febre tolerabili, quæ dimouet corpus ab eo statu quo laborat, & elicit ex interaneis labem humorũ qui cruciant aluum, atque per totum corpus disperguntur.

APHOR. LI.

Ὁκόσοισι μεταξὺ τῶν φρενῶν καὶ τῆς γαστρὸς φλέγμα ἀποκλείεται, καὶ ὀδύνην παρέχει, οὐκ ἔχον διέξοδον εἰς οὐδετέρην τῶν κοιλιῶν, τουτέοισι κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κύστιν τραπέντος τοῦ φλέγματος, λύσις γίνεται τῆς νόσου. Ὁκόσοισιν ἂν τὸ ἧπαρ ὕδατος πλησθὲν εἰς τὸ ἐπίπλοον ῥαγῇ, τουτέοισιν ἡ κοιλίη ὕδατος ἐμπιμπλᾶται, καὶ ἀποθνήσκουσιν. Ἀλύκη, χάσμη, φρίκη, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος, λύει τὴν νοῦσον.

Vbi intra pectus & aluum intercluditur pituita & dolorem mouet, nec emigrat per alterutrum uentrẽ, pituita conuersa per venas ad vesicam morbus finitur. Vbi vero iecur aqua plenum per omentum prorumpit, venter aqua impletur, ac intereunt. Cæterò par pari vinum epotum soluit tristitiam, oscitationẽm atque horrorem.

Hic Aphorismus peculiariter commendat fluores vrinæ: siquidem liberant hominem diuersis incommodis, qúumque ex intempestiuis potationibus, aut aliter pituita cõtinetur præcordiis & aluo, ac mouet dolorem, nec potest detrahi alui ductione, vomitione, neque per tussim, si per vrinæ canales euocatur ad vesicam, est salutis testimonium tutissimũ: sin autem ex intempestiuis potionibus aut vrina remorata, aut aliter, iecur aquosa (serò sanè) pituita plenũ est, neq; exigitur aluo, nec vomitur, nec præclusis vrinæ emissariis, sed fertur per omentum in ventrem, degenerat in morbũ hydropicũ mortiferum. Nihilominus vinum datum vt æquum est, succurrit vrinæ suppressæ, necnon cunctis incommodis quæ

ſequuntur interclusos vrinę canales, etiamsi persępe concitent immodicos viriū lapsus, mentem abalienant, stomachum ſubuertūt, creant oscitationes aſsiduas, tremorem & neruorum vitia: ſiquidem vinum pellit vrinam tolerabiliter, maximéque ſi ſit inſuetus eius vſus, vires auget, facilè in membra diſtribuitur, facit ad longas inflationes, roſiones præcordiorū, ac diſtentiones, iuuátque ſtomachi reſolutionem, & quum cibi tenax non eſt. Porro quandoque vinum liberaliter epotum ſtomachū in vomitiones euertit, mentem turbat, proſternit neruos, adfértque pericula morborum grauiſsimorum. Quare eius vſum modúmque Hippocrates metitur ex viribus bibentiū, ne vllas cruditates moueat, néve putreſcat in bilem, pituitam, aut malam materiam, quę negotium poſſit exhibere. Iā licet reprehendere Galenū, qui hanc Hippocratis ſententiā omnino obſcurauit.

APHOR. LII.

Ὁκόσοισι δ᾽ ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ ὑπό τινος προφάσιος, ἀνάγκη ἀφώνους γίνεσθαι παραχρῆμα.

V. i aliqua de cauſa cerebrum percutitur, vox neceſſariò ſupprimitur protinus.

NVNC metitur ictus cerebri ex ſubita vocis ſuppreſsione, quia vires ſine modo profligant. ideóque ſiue ex ſublimi deuolutis, ſiue aliter diſcutiatur cerebrum, vox ocyſsimè eripitur ex ſubito & immodico lapſu virium.

APHOR. LIII.

Τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν. λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα.

Corporibus fluidarum carnium ieiunium præſcribendum eſt: ſiquidē corpora ſiccat.

HOC Aphoriſmo tradit ieiunium leuare corpora quæ nimio fluore laborant, ſudant præter conſuetudinem

dinem, sunt aluo liquida, & vexantur vitiosis effusionibus. etenim abstinentia exhaurit, sorbetur cuncta ferè liquamenta quæ fluunt.

APHOR. LIIII.

Υδρὼς πολὺς θερμὸς ἢ ψυχρὸς ῥέων αἰὲ, σημαίνει ἔχειν πλησμονὴν ὑγροῦ. ἀπάγειν οὖν χρὴ τῷ μὲν ἰσχυρῷ, ἄνωθεν, τῷ δὲ ἀσθενεῖ, κάτωθεν.

Sudor copiosus calidus aut frigidus fusus assiduè testatur humoris abundantiam. Ideoque subtrahere oportet robustis sursum, infirmis, deorsum.

Hoc Aphorismo declarat superuacuam materiam æstimādam esse ex sudore calido aut frigido, qui liberaliter fertur, neque succurrit. Itaque signū est oportere exinaniri humores superuacuos. Porro sursum detrahuntur per vomitiones, vbi manent robustiores ægroti, neque languent: vbi verò sunt inualidiores, magísque offenduntur, requirunt alui ductionem.

APHOR. LV.

Ην τις τῷ πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ, τῷ μὲν ὑγιαίνοντι ἰσχὺς, τῷ δὲ κάμνοντι, νοῦσος.

Siquis febriculoso cibum exhibeat, num sanatur? sanis vtique robur, ægrotis vitium est.

Hoc Aphorismo significat cibum esse paulo timidius offerendum ægrotis qui febre laborant, nisi eo dato reualescant ac sanentur: qui quum haud succurrit, manétque eadem febris, degenerat in cruditates, vel putrescit in bilem aut pituitam quæ miscetur causæ febrium, & eas exasperat.

APHOR. LVI.

Τὰ διὰ τῆς κύστιος διαχωρέοντα ὁρᾷν δεῖ εἰ οἷα τοῖς ὑγιαίνουσιν ὑποχωρέεται. τὰ ἥκιστα οὖν ὅμοια τουτέοισι, ταῦτα νοσωδέστερα· τὰ δὲ ὅμοια τοῖσιν ὑγιαίνουσιν, ἥκιστα νοσερά.

LIBELLVS ANIMADVERSIONVM NATVRALIVM IN GALENVM ciúſve æmulos de quibuſdam noxis corporis, autore CL. CAMPENSIO Medico.

DE MORBO,

CAPVT I.

HAVD ſum neſcius, quum quæ philoſophi ſummis ingeniis tractauiſſent de multiformi genere morborum, ea longè aliter perpurgaremus, fore vt hic noſter labor in varias reprehẽſiones incurreret. Neque enim facile eſt perſequi immẽſa corporis tædia, nec inuiſas eorũ nouitates abſque diutino medicinæ ſtudio, & ſine experimentis quæ diu traxerint: nihilominus quũ euoluerem libellum Hippocratis de priſcorũ medicina, & cauillaretur ſuo æuo phyſiologos, quibus ſubſcripſit Galenus, cœpi altius percontari medicinæ ſcientiam, remedia noxáſque omnes quas Galenus metitur ex intemperie calida, frigida, & vanis huius generis cauſis. ſiquidem eas omnes impugnat vir clariſsimus Hippocrates, tradítque vetuſtiſsimos huius artis autores æſtimauiſſe rationem medendi ex natura hominis, quæ dimouetur ex ſuo firmo ſtatu: neque domatur ardore neque frigore intus condito, niſi modum tranſcant: ex quibus alterum ad cremandum valeat, alterum ad gelandum idoneum ſit. Sed tam violentos qualitatum impetus nemo ſuſtinet longiori tempore: cuncta namque obiter opprimunt. Itaque melius eſt coniecturas morborum æſtimare ex materia ſuperuacua, quæque ſine modo onerat ægro

tos, vel ex labe materiæ inutilis: itémque ex ea quæ deficit, eíque præsidio sunt futuræ commodæ corporis refectiones. Quum autem Galenus auidissime gloriæ non teneret Hippocratem, comminiscitur irritas misturas contrariorum, vt obscuraret Aphorismos, præsagia, aliáque præcepta ab Hippocrate condita. Deinde vt credibilior fieret eius sermo, cũcta inuoluit suprapositis misturis, & vanis qualitatibus. Nos vtique opinamur morbum esse malam affectionem corporis, quæ infirmat eius vires idoneas ad faciendum, quas deprehendimus vegetissimas ex integris functionibus quibus occupantur. Itaque meritò abroganda est Galeni sententia, quoniam distinguit noxas corporis ex partibus similibus, & ex corporis instrumentis. functiones namque vniuersas edunt organa, neque partes similes nos offendunt, nisi ex tædiis instrumentorũ quæ mouent. Cæterùm morbos acutos perhibent physiologi, quia gignunt graues dolores, fatigationes ingestabiles, & immensam vitæ perniciẽ, quanuis sæpe vincant duos menses. neque enim malis mortiferis quidpiam vrget acutius.

DE PILIS,

CAP. II.

MIHI visus est turpiter peccauisse Galenus, siquidem cauillatur reliquias nouissimæ nutritionis transuolare in fuliginem quæ fertur per cutis spiracula, densatur paulatim & assurgit in pilum. Certũ enim est nouissimas reliquias alimentorũ dissolui & vaporari: nec morantur pro auxilio corporis. Adhæc ardor insignis & violentus educit fuliginem: sed est mitissimus naturalis calor animalium, nec vllam fuliginem fundit: deinde fuligo haud manet diutius, pilus autem moratur longo tempore, neque defunctus corporibus citò putrescit. Itaque verisimile est pilos fieri ex crassa & lenta materia, quæ cutim rigat, occupat

eius

eius riuos, duratur & paulatim degenerat in pilum. Meritò ergo assiduo madore cōstant & remollescūt pilorum radices, vbi primùm diuellūtur, neque ocyus arescunt quàm in ambiente spiritu traxerint. Pilos vtique nobis natura donauit, nec oriuntur toto corpore, verùm vt decorarent membratim hominē vbi opus est. Cæterùm qui viribus præstant, muniuntur maiore villorum copia: castrati verò manent imberbes, similes mulieribus, quoniam sunt imbecilliores, nec firmantur robore verendorum tanquam viri: ita retinent mediam naturam virorum & mulierum. Pari iure mulieres non inualescunt neque roborantur verendis iuxta ac viri firmi sunt, nisi oriatur quædam virago potentior cætera turba mulierum, & remorato mensium cursu lanugo mentum vestiat. Vtique pili non prorumpunt sine firmis viribus, quia procul absunt ab internis visceribus & partibus omnium validissimis: sunt cutis ornamenta, decorántque cacumina corporis humani. Sole clarius est, cutem in callū ferè durari, alitur quoque esca perquàm facili ad condensandum. Iure ergo pilos durissimos ac aridissimos emittit, sibíque sufficit pro naturali ornamento ex simili cibo quo vesci nata est. Si verò natura deprehenderet aliquam pilorum fœditatem, cuncta nuda manerent: eius autem maiestas in singulis momentis fide caret, siquidem externi orbis homines deprehēdimus toto corpore pilis vestitos. Cæterùm pilorū colores multis modis variāt. Imprimis exalbescit crassa & glutinosa materia, quæ assurgit in pilū. eius enim radices recēter vulsę apparent lentescere & exalbescere: cādor autē maturè fœdatur mistus alieno colori, quū sit purus, simplex, & mutabilis admodū. quúmque pili rufescunt, credibile est traditam materiam albam crassámque misceri felleis & rufis humoribus, qui eodem planè modo concitant lenticulas & multa vitia cutis. Porro nigrescunt pili ex cu-

te, cuius insignis est astrictio iuxta ac plura astringē tia genera rerum adferunt nigritiē. velut liber quercus, simul & chalcanthum nigrore tingendi vim habent, quia præstant astringendi facultatibus. Cæterò insignis cutis astrictio deprehenditur ex medicamentis quibus sanantur vlcera, & abducitur firma cicatrix. namque moliuntur rem similimam cuti: sin autē vires languent, hebes est vis cutis, nec eius astrictio mouet vllā pilorū nigritiem. Quocirca infantes tenerrimæ ætatis educunt pilos propemodum albidos, flauescentes, & qui ex toto haud nigrescunt: sed inualescens ætas & robustæ vires citant pilorum nigritiem, quoad languescere ac senescere cœperit. neque iam inualida cutis posset astringendo pilos nigrore tingere: vbi verò grauior est virium infirmitas, & callosior cutis emergit, excæcantur riui materiæ quæ pilos creat: neque prorūpit externis partib', sed nudatur cutis, decidúntque pili. Quúmque in capite terga & latera caluariæ facilius rigari possint cursu dictæ materiæ, difficilius nudātur quàm priora & summa capitis cacumina, quæ vix sorbent materiam idoneam ad pilos educendos. Cæterò atrox morbus nonnunquam eripit cibum pilorum, adfert ingestabilem corporis maciem, & excitat pilorum defluuium: æquè quoque interdum cutis suffunditur tenui pituita aut materia inutili, & ob id ipsum decidit pilus. quúmque crassa cutis est, pili hirti exeunt: si mollior, sunt tenuiores & similes fœminis. Iam difficile est scire cur AEthiopes & plerique ex genitis mortalibus sint barba capillóque vibrato: nisi credibile sit flexuosos cutis meatus, & qui rectà non eunt, eius rei causam esse. Quare repudiandus est Plinius. namque existimat AEthiopes vicini solis vapore torreri, adustísque similes gigni, barba & capillo vibrato. siquidem vidimus vtrumque sexum AEthiopum in glaciali plaga

Prus-

Prusiæ generantes sibi similes fœtus, qui nedum pilis, sed etiam dentibus nobis dispares nascuntur.

DE VERTIGINE, CAP. III.

VERTIGO propriè vitium est eius sensus qui intus conditur, vanas imagines accipit, quibus nondum addictus sit, quum adhuc sapiat. Proinde corruptiones escarum, cibúsque omnis qui putrescit in bilem & pituitam, similiter omnium humorum labes, & rerum infinitarum virus creat vertiginem eodem planè modo atque mentem abalienat: cuius etiam mali causæ sunt languidæ vires, & quæ desunt ad eas alendas.

DE SOPORE ET APOPLEXIA, CAP. IIII.

SOPOREM vulgò medici tradũt vbi quasi dormiẽs tacet aliquis, quúmque somnus diutius trahit quàm natura patiatur, soporis vim habet. Idcirco somnum salutiferum Hippocrates metitur ex tertia dierum parte, siue horis octo: sopor autem plurimum variat, decipit etiamnum complures physiologos, quia separant coma vigil à sopore, nec ferè intelligunt cuius mali verbum sit apoplexia: æquè quoque existimant lethargum fieri ex çerebri collectionibus, qui tamẽ perhibetur veternus febricitantium qui desipiũt, quemadmodum phrenitis est dementia eorum qui febre laborant. Cæterùm ex omnibus incommodis corporis sopor plurimum variat. nam interdum oritur leuissimus, atque ita premit ægrotos vt sint penè vigiles. audiunt enim ac intelligunt ferè omnia, & nonnunquam in veterno loquuntur, donec modò soporentur commissis palpebris. Idcirco abdicanda est sententia philosophorum, qui perhibuerunt coma vigil excitari ex

duplici humorum pernicie:qui quum inuicem diſcrepant,alter vigilias,alter veternum creat. Porro coma vigil continet haud altum ſoporem: leuior etiamnum ſoporis cauſa mouet vigilias veternoſas. Neque veriſimile eſt vigilias & ſomnum ſimul oriri,quia repugnanter opponuntur. Atqui lethargus morbus eſt contrarius phrenetico, in quo inexpugnabilis ſomnus vrget : ſimúlque mens alienatur. ſed phreneticis vix vllus accedit ſomnus, neque lethargus emergit ex cerebri collectionibus,verùm ex intolerabili febre , quæ hominem ſopore grauat , ſimúlque turbat mentem. Cæterùm apoplexia priſcis nomen erat proprium neruorum reſolutionibus , quas recentiores paralyſim vocauerunt, Celſo autore : nihilominus accommodatur quoque ex morbo attonitis, quibus corpus ac mens ſtupet,ſæpe mortifero veterno grauantur, aut implicantur inſanabili neruorum reſolutione, quos vtique paraplecticos appellauit Hippocrates primo libro morborum popularium,quanuis alia ſit Galeni ſententia.Adhæc ſoporem mouet atrox temulentia,opium, cicuta,& pleraque medicamenta huius generis, quæ vires cerebri ex ſuo ſtatu deiiciunt, tranſeúntque in perniciem humorum qui nos malè habent:æquè quoque moribundi ſopore premuntur ob immodicos virium lapſus. Ducunt etiamnum ſoporem corrupti humores, qui ſedem ſenſus ac motus ſine modo infirmant:eodem planè modo effuſo virium robore præſtantiores capitis ictus veternum excitant.

DE INCVBO,
CAP. V.

NEMO negat,medicos & phyſiologos differentes de incubo abdicandos eſſe.Alius enim ex dæmonum arte metitur huius mali cauſas,quum euolueret veteres theologos multa fabulantes de incubis & ſuccu-

ſuccubis: alius perhibet faſcinatores noctu vagari, huc & illuc diſcurrere, incubaréque dormientibus. Quidam tradunt manes ad nos redire, & præſtare incubum. Quæ ſanè puerilia deliramenta quum viderem, haud potui riſum continere. Incubus enim modò noctu emergit nobis dormientibus: ſed incubi & ſuccubi dæmones cum vigilibus mouere venerem, ídque ex faſcinatoribus & infima gente ſcire eſt facile. namque verſantur familiariter cum dęmonibus, & coeunt vigiles: incubus autem prodit modò in ſomno. Ideóque nonnulli perhibuerunt incubū fieri ex ſpiſſo halitu, qui obcæcat riuos ſpirituum, obumbrat ſenſum animæ, varia ſpectra rerum obuerſat ob oculos, mouet grauiſsima tædia corporis, neque eſt ſine metu. Nihilominus eſt dilucidum, ſomniantibus duntaxat ſentiri incubum, neque aliud eſt citra ſomnium eorum qui dormiunt. Quúmque infinitum ſit varietatem ſomniorum variare, ſimiliter plurimum variat incubus. nihilominus denuntiat intus ſubeſſe metum noxæ grauiſsimæ. namque ſomnia frequēter oſtendunt multiplices rerum euentus, quemadmodū aliàs illuſtrauimus. Meritò ergo perhibet Plinius Publium Cornelium Rufum, qui conſul cum M.Curio fuerat, dormientem, oculorum viſum amiſiſſe, quum id ſibi accidere ſomniaret. Aliū perſpeximus extinctum ardenti febre, quam ſomniauerat orſam, nec priùs eam perceperat. namque experrectus febricitauit iuxta ac ſomnia nuntiauerant. AEquè quoque incubus naſcitur ſomniantibus, quia imaginantur tædia corporis, quæ in poſterum ſe aperiunt velut vaticiniorum comites. proinde ſi identidem redeat incubus, protinus teſtatur fore vitæ perniciem. Iure ergo abroganda eſt ſententia medicorum, qui comminiſcuntur cauſas incubi ex labe humorum, obcæcantium riuos corporis quibus vires ſenſu & motu præditæ feruntur. ſiquidem traditæ vi-

res diffluunt per densissimam neruorum essentiam, nec peruiam vllis meatibus,nec vllo specu sinuatam. Ideóque nullis oppilationibus nerui implicantur:verùm quemadmodum sonus penetrat solidam essentiam eorum quæ personant, viduam cunctis cauitatibus riuísque:pariter lumen fulget naturaliter in rebus lucidis sine vllo meatu.eodem planè modo nerui vbique densescunt : carent enim spiraculis omnibus quæ aliquo farctu posint occupari,neque sinuãtur in meatus.nihilominus quandoque languent & remollescunt eorum primordia,resoluuntur,contrahuntur, citra vllam meatuum oppilationem.

DE INSANIA,
CAP. VI.

CERTVM est physiologos impediri errore turpissimo : siquidem opinantur phrenitidem fieri ex erysipelate aut inflammatione cerebri, quum sit continua dementia eorum qui in febrem acutam incide runt.Atqui insania aut est sine febre, aut non sequitur eius noxas.qúumque mens valeat iudicio, inuentione,& memoria rerum infinitarum,turpiter labũtur qui segregant tædia memoriæ ab incommodis mentis. Etenim difficile est hominem ex toto desipere , nisi grauior sit mentis abalienatio . Meritò ergo ex insanientibus plerique modò frustrantur imaginibus vanis,alii animo quoque desipiunt. Neque dubium est abdicandos esse physiologos, qui tradunt noxas capitis à tergo esse memoriæ peculiares , eámque laborare duntaxat vbi capitis terga malè habent. siquidem memoria est proprietas mentis,quæ racordatur omnium rerum notitiam. namque certa serie constant ac ferè dispensantur eius omnes functiones:nihilominus recordatio est omnium nouissima:labat vtique nonnunquam sola memoria, quãdoque iudicium & ratio mentis ægrotat,

tat,interdum laborat eius inuentio, neque ex toto facilè alienatur. Cæterò infinitum est quocunque modo mente captos certo genere comprehendere: quia ex his nonnulli sunt hilares, mouéntque solùm iocos insanos:aliqui sunt morosi, & seriò delirant. cuius vtique mali causæ æstimandæ sunt similes doloribus capitis,quibus plerumque patent:verùm labes humorum ferit sedem mentis, neque dolorem creat capite laborantibus. Meritò ergo mali humores,vires infirmæ,virus datum,& persæpe vehemens animi perturbatio mentem turbat.

DE SPASMO ET CATALEPSI, CAP. VII.

CONVENIT omnibus neruos & membra quæ sponte mouentur animalium arbitrio tum porrigi, tum laxari vt motum præstarent. Meritò ergo spasmus fieri solet vbi violenter porriguntur,nec in posterum se remittunt,nec possunt laxari quum disten tio citra hominis arbitrium orsa sit, & naturæ inimica sentiatur. Itaque acer humor omnis, potio temulenta,simúlque omnis pernicies intus condita distēdit neruos, quoniam stimulat eos mordicus, porrigit, pellit,neque laxantur,nisi causa violenti distētus quiescat. Vbi verò tradit Hippocrates spasmum fieri ex plenitudine & inanitione,declarat materiam inutilem ac deficientem mouere spasmum. Neque sunt in pretio physiologi, qui perhibent insueta ieiunia contrahere neruos,quia sorbent eorum escam,& eos exsiccant similes citharæ fidibus. eodem planè modo rati sunt febribus ardentibus arescere neruos,nec aliàs oriri conuulsionem ex earum incommodis.nihilominus vitæ vsus non sustinet eam siccitatem ner uorum. Commoriuntur namque priusquam inarescant fidibus similes.adhæc immoderata siccitas motum facilè tardat,quum sit præceps motio neruorū

qui contrahuntur,& visa sit celeriter properare. Interdum sanè faciem occupat spasmus, quem Græci κυνικὸν vocant,reddit os peruersum atque faciem indecoram. hanc enim operit cutis musculosa, quæ simul tegit ferè totum caput,& mouetur hominis arbitrio similis musculis,quæ tamen alibi ferè est sine motu.atqui certum est musculos remitti vtrisque ca pitibus,& firmari vt mouere posint.Similiter vtrinque firmatur cutis per faciem diffusa,atque remittuntur inuicem eius extremitates, vt æqualiter porrecta faciem decoraret.Meritò ergo si altera parte soluitur & laxatur,alteram contrahi necessarium est,& redde re faciem indecoram. Cæterùm catalepsis numeretur in neruorum distentionibus,quibus æger in eum corporis habitum figuratur quem dimisit distentio violenta.Proinde repudiandi sunt qui metiuntur catalepsim ex congelatione, cuius causa homines rigescunt similes rebus obduratis gelu. Neque enim ad gelandum valent quæ sunt in viuis:siquidem deletur totus calor & vis eorum quæ conglaciantur: neque congelati in posterum reuiuiscunt. Sanè est dilucidũ frigus niuium simile interdum contrahere neruos,& mouere catalepsim de qua agimus:quia neruos contrahit. Neque dubium est catalepsim numerari in ge nere conuulsionum. hanc vtique mouent corrupti humores, materia inutilis, aut vires infirmæ, & quæ desunt ad corporis robur alendum.Similiter morsus bestiarum quæ vibrant virus, & venena multigena distendunt neruos, adferunt vitæ supplicia, aut eius perniciem ex insigni labe humorum quam gignunt.

DE MORBO COMITIALI,

CAP. VIII.

NE videar audacius reprehendisse triuiales physiologos,qui tradunt morbum comitialem esse spasmum, subijciam autoritatem Celsi, qui ob id ipsum meti-

metitur comitiales, quoniam subitò cunctorũ propemodum immemores concidunt: deinde tempore interposito ad se redeunt, & per se ipsi consurgunt. ex quibus nonnulli cum membrorum distentione prolabuntur, aliqui non sentiunt distentiones. Neque dubium est exanimationes assimilari comitiali morbo: quæ quum mentem feriunt, tollũntque sensum rerum, non discrepant à morbo sontico: si verò non eripiunt ex toto vim sentiendi, numerantur leues epilepsiæ.

DE NERVORVM RESOLVTIOnibus, CAP. IX.

CERTVM est motus omnes qui voluntate constant, fieri viribus neruorum, qui membra modò cõducunt, nunc reuocant, tenduntur, & laxantur vicissim ex hominis arbitrio, donec eorum vires appareãt genuinæ. Meritò ergo vbi offenduntur, laborant vel distentione vel resolutione. qui quum sine voluntate intenduntur & rigescunt, impediuntur spasmo: aut vbi laxantur & resoluuntur violenter, incidunt in paralysin: cuius causæ produntur mali humores, quibus rigantur, & languent. Neque celebrantur qui rati sunt neruos resolui ex oppilationibus, & obcæcato meatu quo feruntur vires sensu ac motu præditæ. siquidem corpora neruosa nullo itinere peruia existimanda sunt: neque suprapositæ vires delegantur in totum corpus per laxos canales, aut effuso vllo meatu. Id vtique oritur cæca ratione, ac eodẽ planè modo atque sonus migrat per materiam densissimam, aut calor penetrat res spissas, aut colorantur intimæ rerum partes sine vllo specu, aut lumen fulget sine riuis rei translucidæ. Quorum omnium causa nullis patet sensibus: sed nerui resoluuntur, quia laxantur effuso robore virium, donec haud possint tendi nec rigere. Iam verò turpiter peccant qui rati sunt spinæ

medullam vtrinque ſeparari intercurſantibus membranis tenuiſsimis. Ideóque perhibuerunt, dextræ partis reſolutiones mouere perniciem humorũ qui eò confluunt, diſcurrúntque in locum dextrum: nihilominus oriuntur langueſcente dextra parte, vi cerebri & neruorum, quoniam natura vbique ſequitur rectitudinem. Proinde firma parte cerebri dextra, inualeſcunt membra dextris locis: pernicialis autem materiæ curſus rigat ſpinæ medullam, donec eius abundantia ſequatur primæ guttæ fluores. Idem teſtatur alueus & locus riguus omnis. nam eò aqua ex toto fluit, vbi apparet primæ aſperginis initium. Interdũ tamen arctiſsimi nexus reſoluunt neruos, laxant ob immodicos lapſus virium, neque laborant oppilationibus, nec obcæcantur eorum itinera, quia denſantur nerui vbique vidui quibuſcunque neruis.

DE TREMORE, CAP. X.

CONVENIT inter omnes, tremorẽ mẽbrorũ gigni duabus de cauſis vitio neruorũ & partiũ quæ nõ ſine voluntate motu pelluntur. ſiquidem vbi inualidius tenduntur, aut laxantur, ſiue languent, inuicem grauioris ſpaſmi aut paralyſis tremorem adferunt. natura enim potentior eſt, neque malo victa radicitus. Itaque languidius mouetur pars quæ tremit, ſiue diſtentio violenta, ſiue reſolutio ſit cauſa tremoris. Idcirco meritò deteriores acceſsiones febrium, frigus niuium ſimile, & quicquid violenter diſtendit neruos, tremorem creat haud diuerſum à conuulſionibus, donec ſit leuis quædam conuulſio: quoniam natura adhuc noxis reluctatur, reualeſcítque maturè, nec moratur diſtentio. Pariter ſenes omnes, & vbi vires ſunt infirmæ, protinus fatigantur tremore non diſsimili reſolutis: quoad huius generis tremor ſit quædam mitior reſolutio, neque ex toto natura victa

cta malo appareat, sed reualescit ocyssimè. Cæterùm palpitatio aliud nihil est præterquam tremor partiū quæ distendūtur imbecillius, ac dant saltus trepidos, donec tremor sit ferè vitium latius : sed palpitatio exercet membratim, nec vastior est.

DE FOEDO SPIRITV NARIVM, CAP. XI.

CONSTAT omnibus, interdum nares edere spiritum fœdissimum cùm ore integro, tum firmis internis visceribus, spiraculis quoque narium liberatis omni tædio. Nam quemadmodum plerūque aluus descendit fœdissima, aut vrina fertur putidi odoris: eodem ferè modo mucosi humores ac pituitosi protinus corrumpuntur, & fœditas sentitur prorumpere ex nariū emissariis. cuius etiam mali febres causæ sunt, ídque Græci ὄζαν perhibent: aliàs vlcera tetra & palati ossa vitiata hanc fœditatem gignunt.

DE VOCE, CAP. XII.

SOLE clarius est animalia vocem edere spiritu, qui percutit cacumina gutturis : sonat autem ictus neruis recurrentibus, qui tubis sunt similes, decurrūt caput faucium, edúntque sonum tanquam flatu incluso fistulis. Quare meritò vox supprimitur protinus ex præstantiori vulnere partium quas subeunt nerui recurrentes, quia nullam vim sonandi obtinēt: sin autem gutturis cacumina prædita neruis redeuntibus laborant pernicie humorum, properant raucedines. Idcirco ocyssimè raucescunt nautæ, aurigæ, turbáque hominum quos ilico malè habet circūdatus spiritus, cœlum frigidum, vmbrosum, pluuium & expositū aquiloni. Quocirca philosophi cauillantur raucedinem, quam mouet rheumatismus capitis, occludit fistulas spiritus, adfert earum scabritiem, & vocem vitiat. In hunc sanè modum cohibetur sonus modulatus, & ex inopinato vocis suauitas

uitas tollitur, variátque vox ſine raucedine. Aliqui exiſtimauerunt malos humores interdum guttur rigare, aſsimilare plumbo & rebus quę difficiliter perſonant, donec vox hebeſcat & exaſperetur. Neque enim guttur vocem edit, neque ſuapte vi ſonat: ſed ex pulmonibus fertur ſpiritus per aſperam arteriam & ſuum canalem, cuius profluuium regerit faſtigiũ laringis ad ſedẽ vocis, adigítque donec ex eius percuſſu vocales audiantur homines. Proinde expiratio non edit vocem aſsiduè, nihilominus profundit ſpiritum per gutturis cauitatem ampliſsimam, ſed non repelluntur eius eruptiones, nec regeruntur ad neruos reciprocos, de quibus agimus. Quúmque moribundis aut morbo aliquo vox eripitur, docet immoderatum virium langorem, neque ſonandi vim habere neruos recurrentes: aut percutiuntur quidem, tamen mitior eſt ictus ſpiritu fuſo cum maiore virium infirmitate. Quapropter raucus aquilo, frigus atrox, glacies ſumpta, algidáque potio omnes vocem facilè exaſperant: ſiquidem malè habent neruos reciprocos, infirmántque ſedem idoneam ad vocem edendum: labes autem humorum qui ex cerebro per aſperam arteriam incumbunt pulmonibus ſtatim ex faucibus euocatur, quia depellitur motu ſpiritus qui trahitur, rigat pulmones, mouet ſuſpiria, nec moratur vllam vocis aſperitatem. Adhæc vt animus oculis cernit, eodem planè modo voce edita loquitur, & abdita vtriuſque ſocietate internoſcitur mens hominũ. Idem videtur aptari beluarum animis, quarum ſenſus ex voce deprehenditur.

DE DOLORE LATERIS,

CAP. XIII.

NEMO ambigit philoſophos incidere in magnas reprehenſiones, quia metiuntur pleuritidem ex inflammationibus præcordiorum & laterum, non autem

tem ex eorum doloribus. Iure ergo duplex pleuritis diſtinguitur ab Hippocrate. nam vel cruciatur iugulum, coſtarúmque ſedes ſupra ſeptum tranſuerſum: vel dolor eodem inferior eſt, & numeratur morbus inteſtinorum. Verùm dolor ſupra ſeptum tranſuerſum facilè gignit inflammationem, oritúrque fermè ex febribus iuxta ac vrgent capitis dolores, lūbi grauantur, ſtomachus malè habet, liquatur aluus, aſtringitur, vrinæ variant, pulmones extuſsiunt, mens abalienatur, & prorumpunt diſſona corporis tædia. Proinde ſi febris malè habet latera ſupra ſeptum tranſuerſum, naſcitur pleuritis de qua diſſerimus, quę quidem ſimul cum febre quieſcit. Cæterò deteriores febres ferè omnes in aliquam partem incumbunt, & mouent graues collectiones, quoniam ſunt cauſę doloris qui neque per ſanguinis detractionem, neque per reſolutam aluum, neque per ſputa, neque aliter quieſcit. Nec meritò ex collectionibus pleuritis æſtimari debet, ſed modò ex dolore qui nunc mouet collectiones & vomicas, ſtatim diſſoluitur, vaporatur cauſa doloris, deſinítque ſimul cum febre. Iam mirari licet phyſiologos, quoniam ex flatibus eliciunt cruciatus præcordiorum, qui vagantur ſupra ſeptum tranſuerſum. Quandoquidem flatus prorumpunt ex humoribus & inutili materia, nec illuſtrant id de quo ſit quæſtio, eſt ſanè dilucidum felleos humores, ſalſos & vitioſos nonnunquam ſine febre cruciare latera, quorum dolores eodem modo vagari apparent atque impoſitis ignibus aqua feruet, erumpúntque eius bullæ diuerſis in locis. Proinde vbi laterum diuerſæ partes cruciantur, ſentimus aliquam doloris mutationem, cuius cauſæ non ſunt flatuoſi humores, neque vapores. Idcirco huius generis cruciatus ſæpe quieſcunt admotis medicamentis, quæ exhauriunt & euocant omnem felleam & corruptam materiā, donec locus appareat perfuſus pallida & ſalſa aſpergine.

DE MORBIS PVLMONVM, CAP. XIIII.

HAVD licet assentiri physiologis, qui tradunt peripneumoniam esse inflammationem pulmonum. neque enim grauius nos cruciat, nec plerumque mouet vllum ardorem febrium. Iure ergo vetustissimus medicinæ parens Hippocrates memoriæ prodidit, libello de victu morborum acutorum, balnea cōmodius leuare peripneumoniam, siue pulmonum morbos, quàm ardentes febres. namque molliunt dolorē lateris, pectoris: terga laborantia adiuuant, maturant sputum, edúntque. Adhæc peripneumoniā frequenter tollūt hubores inguinis, auriū, & coxarum tædia, quibus vix iuuantur inflāmati pulmones. Qúmque morbus omnis ex noxia functione æstimari debeat, pulmones autem potissimum in spirando versentur, est dilucidum peripneumoniam vocari ab Hippocrate vbi ex morbo & graui labe humorū spiritus propemodum eliditur. Hoc ergo mali genus persępe vrget pulmones cancris & marcore consumptos. aliàs spiritus ægrè trahitur ex impetu morbi ingestabilis, & emergit noxa pulmonum: mox grauis corruptela, & abundantia humorum obcæcat pulmonum spiracula, nec spiritus facilè ducitur: nunc tædia partium quæ ancillantur respirationi, hoc malum creant. Cæterò περιπνευμονία testatur dolorem pulmonum suspiriosum, cuius perniciem maiorem docet verbū περὶ intendit enim vim dictionis cui hæret.

DE TVSSI, CAP. XV.

CONVENIT inter omnes tussim esse tributam pulmonibus ad expectorandum cuncta eorum tædia. Idcirco tussis plerumque citat pituitam quæ malè habet pulmones, quandoque existit arida. Neque

ſunt alicuius autoritatis qui ſiccam tuſsim metiūtur ac ponderant ex tenui pituita quam pulmones ex tuſsiendo ſurſum expergunt in multas guttas, deinde ſuopte pondere protinus ad pulmones refluunt, iux ta ac vnda ex vaſe anguſto ſurſum fuſa diſpergitur guttatim, pòſt ſidit, rigátque locum vaſe multo vaſtiorem. nam pituitoſi humores ex capite pulmonibus incumbunt per anguſtiſsimos riuos aſperæ arteriæ qui ſe inſinuant in penitiſsimam pulmonum eſſentiam, neque emigrant ex traditis riuis, ſed per eos quaſi canales, pulmones ſubeunt. nihilominus ſuprapoſiti riuuli ſunt pulmonum ſpiracula, quibus ſpiritus ſorbetur: deinde protinus liberantur noxia pituita quæ inhæret ſpirituum emiſſariis, ac eam aliò regerunt ſpiritus qui ducuntur, adigúntque violenter, niſi nouetur aſsiduus pituitæ curſus, neque ex eo diu morabitur tuſsis arida. Quæ quum fabuloſa appareant, ſanè crediderim corruptos humores adferre tuſsim aridam, quia vix expectorantur, malè habent pulmones, hærent denſæ eorum eſſentiæ, penetrant ad imam cauitatem pectoris vſque, facilè ſuppurantur, vlcerántque pulmones haud ſine metu. Interdū tamen pulmones extuſsiunt purulentum craſſamen ſine vlcere eodem planè modo atque redditur naribus, & fertur ex capite, aut excreatur. Neque dubiū eſt quandoque pituitam ſimilem puri cunctari cerebrum: erumpit ore, naribus, auribus, aliàs rigat pulmones, neque offendit eorum denſam eſſentiam, ſed educitur priuſquā altius penetrare poterit. Aliquando pituita hæret pulmonum fiſtulis, ſuppuratur, editúrque ſine vlcere: nonnunquam mucoſæ materiæ craſſamen pulmones occupat, excreat eorum fiſtulas, haud ruit penitius, ſed in calculum duratur: ſereſcit enim ocyſsimè ex aſsiduo ſpiritu, quem trahimus. Idcirco vidimus pharmacopolam iuuenem, qui ſingulis ferè menſibus excreabat vnum aut alterum

calculum tolerabiliter post longam tussim, aridam ac difficilem. Plerique credunt aliàs humorum labẽ subire pulmonum spiracula,& migrare in tineas quę tussiendo redduntur: nisi melius sit existimare tussiẽdo grauius stomachum in vomitiones effundi, quæ tineas & ventris animalia egerunt.

DE TABE, Cap. XVI.

Certum est tabẽ in plura genera separari. nã vel est atrophia, per quam non alitur corpus, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis verò subeuntibus eorum locum oritur summa corporis macies, quæque facilè hominem tollit. cuius vtique mali causa est immoderata abstinentia & insueta ieiunia: siquidem vires vltra modum infirmant, nec in posterum reualescunt, nec sufficiunt escam necessariam ad alendum. Deinde atrophiam creat crapula & liberalior cibus: siquidem quicquid ex eo superuacuũ est, corrumpitur, vires infirmat, & inhibet plenam corporis refectionem. Alterum tabis genus appellatur Græcis καχεξία, siue malus corporis habitus, in quo vniuersa propemodum alimenta corrũpuntur. Oritur autem vitiato corpore ex malis diutinis, quibus quiescentibus vires labant, nec valent ad reficienda corpora, vt decet. Oritur etiamnum datis venenis, & quum diu necessaria defuerunt, ac vbi aliquis insitatos & inutiles cibos assumpsit. Huic præter tabẽ illud quoque nonnunquam accidere solet, vt per assiduas pustulas, aut vlcera summa cutis exasperetur, vel aliquæ partes corporis intumescãt. Vtique verisimile est morbum elephanticum haud separari ab hoc genere tabis, quum in eo cuncta alimenta corrumpi videantur, neque possint refici corpora. deinde comitatur frequenter grauissima tædia corporis, febres atrocissimas, & morborum grauiorum turbã infi-

infinitam. Eſt dilucidum triuiales medicos prænunciare in futurum aquam intercutem ex hoc malo genere tabis. Tertio autem loco phthiſis accedit, cámque gignunt vlcerati pulmones. Cætero licet ridere physiologos, qui rati ſunt cruores ſemper expui ex pulmonum vlcere. namque vlcera tetra vbique ferè ſaniem ſudant, vertúntque ſanguinem in ſanioſos humores, & expectorantur ſine cruore. Vide Cornelium Celſum.

DE CORDIS PALPITATIONE,

CAP. XVII.

CONVENIT inter omnes pulſus cordis ac venarum eſſe nobis à natura tributos, nec illis quieſcentibus vita remanet: nihilominus crediderim venarum ictus ſequi motum cordis, ſimúlque vitalis ſanguinis curſus reciprocos, quorum cauſa ſit cordis palpitatio. nam & venæ inſeruntur cordi, diſcurritque ab eo ſanguis vitalis, donec appareat cùm ſanguinis tum venarum quæ percutiunt euidens ſocietas, quam ſympathiam Græci dicunt. Neque tamen dubium eſt alios ſentiri venarum percuſſus, quum appareat cor palpitare. mouetur enim intus tanquam alterum animal, & peculiares palpitationes oſtendit, neque ſunt ex toto ſimiles venarum ictibus. ſiquidem naturalis maieſtas ſufficit genitis mortalibus eſcam duplicem, tum eam quæ fermè repræſentat liquamenta quæ ſorbent ſata omnia, & quicquid terra ex ſe fundit: tum eſcam obnoxiam motionibus, quã hauriunt ſingula membra quæ motu præſtant. Idcirco ſcienter Ariſtoteles memoriæ prodidit, cor adferre præcipuam vitæ cauſam & originem. etenim prima domicilia intra ſe pretio potiſsimum vitali ſanguini, quem inſtruit naturali pulſu, rigat membratim cùm terga tum priora, & eſt cibus partium quæ motu conſtant. Ideóque Galenus grauiter peccat, qui quũ

haud teneret causas motionis cordis & arteriarum, comminiscitur varios ac irritos quosdā spiritus huius rei autores. Sanè perspicuum est, spiritus nomen esse peculiare theologis, qui de deo, de manibus & de animis disputant. eo enim verbo propriè comprehenduntur res sensibus ignotæ, quæque sola mente & ratione constant. Quocirca temerè Galenus perhibet spiritus fieri ex aere quem spirando trahimus, aut ex spirabili materia, & ex liquidissima, & purissima parte sanguinis: quia subeunt cordis specus sinuosos, miscentur inuicem, percoquuntur, atque degenerant in spiritum. neque enim corporeus est spiritus, nec sensum mouet. Adhæc sanguis aere mistus expumat, neque transit in aliam naturam: deinde vapores properant ex liquidissima parte sanguinis, vbi loco calido includitur, expirátque aer subitò, vtriusque corruptela facilè vrget, diu manet plerumque innoxia: tamen perhibetur vitalitas in corde & spiritu durare, nec vitæ supplicia trahunt, eorúmque læsiones adferunt mortem maturam. Igitur melius est existimare esse cuique donatas vires idoneas ad agēdum, quibus venæ cum corde assiduo motu pelluntur. Neque par est inuehere fabulosos spiritus, quos crediderim à quibusdam theologis Galenum mutuauisse. AEquè quoque cerebrum fertur suo motu naturali & irrequieto, vt largiretur vim motus vniuerso corpori. Iure ergo digni sunt reprehensione philosophi vitalis spiritus & animalis autores, quibus Hippocrates suprapositorum spirituum immemor nunquam subscripsit, etiamsi perpurgauerit precipuos medicinæ locos. Sole clarius est, Hippocratē æstimauisse vitam animalium tribus maximè rebus tueri, cibo, potione, ac spiritu, ceu anhelitu: irritos autem Galeni spiritus haud nouit. Iam verò si animalia desiderant spiritus, quò vita frui possint, nihil vitæ piscibus reliquum erit, quia non trahunt aerem

spiritu.

ſpiritu. quanuis crediderit Plinius pulmonum vice piſcibus ineſſe alia ſpirabilia viſcera,ita volente natu ra:ſicut & pro ſanguine eſt multis alius humor. Adhæc tradit vitalem hunc alitum in aquas penetrare, quem ab eis reddi cernimus : nihilominus æquè vaporantur,nec citra vaporem aliud eructāt, reddúntque modò aquoſum vaporem, non aërem. In terras autem,ſpiſsiorem naturæ partem , aërem penetrare argumento ſunt animalia quæ ſemper deſoſſa in aëre viuunt , ceu talpæ:ſiquidem aer in terras fungoſas & peruias variis meatibus ſe inſinuat.ſed non eſt ſpō gioſa aquarum eſſentia,nec peruia cauitatibus:tamen credibile eſt, in aquis cuncta naturæ ſuæ ſorte ſpirare,ideóque piſcibus eſt donata branchiarū irrequieta motio,quæ vicem reſpirationis implet.Quum autem ex cunctis viſceribus ſolum cor nullis vitiis maceretur,tamen offenduntur eius palpitationes aut pauore,aut hilaritate, & quibuſuis vehementioribus animi perturbationibus, donec animorum domicilium perhibeatur. Adhæc datum venenum, morſus ferarum quæ ſunt venenatæ, atrox labes humorum, præſtantiores cordis ictus , calculi coacti intra eius ſinuoſos ſpecus , & grauior morbus omnis ſubinde deterrimas cordis palpitationes creant,vires proſternunt,mutant corpus à ſuo firmo ſtatu, & protinus exanimant hominem.Sanè haud dubio argumento coniectandum eſt,animoſius ferri ſanguinem vitalē in cordis ſpecu,dum præter naturam mouetur & pal pitat:quod quum diu manet,laxantur cordis ſinus,fuſius patent, cor turget,nec facile eſt mederi eius vitioſis palpitationibus,ſed maturè nos inuadunt, decolorant,adferunt vitioſum habitum,& ilico exanimant. Læſum enim cor maturæ mortis cauſa ſolet eſſe:cæteris autem viſceribus corruptis, vitalitas durat in corde.

DE SYNCOPE,

Cap. XVIII.

Siqvis diligenter syncopem & exanimationem mente & ratione contempletur, protinus intuebitur malum finitimum morbo comitiali: siquidẽ in vtroque sensus cum motu labant, ægroti concidunt, & sopore grauantur nonnunquam. Verùm morbus comitialis est grauior exanimatio, donec mentem feriat, neque in memoriam possit reuocari: syncope verò venit in mentem, neque sensum ex toto eripit. neque solùm emergit vitio cordis: nam & stomacho languente, & laborãte homine grauiore cruciatu, nascũtur exanimationes, hebescit vis sensu ac motu prædita, ac syncope vrget ægrotos. Comitiales ergo produntur qui exanimãtur subito pauore, aut viso fluore sanguinis insueti. Neque opinandum est exiguos & languidos pulsus denuntiare syncopem, nec aliud vllum mali genus, quia infirma valetudine sæpe visuntur ex ingestabili ànimi perturbatione. Certum est venarum ictus notare corpus haud hærere in suo statu assueto, sed mutationis statum, genus non aperiunt.

DE STOMACHO INFLATO & laborante, Cap. XIX.

Non possum subscribere physiologis qui memoriæ prodiderunt noxas stomachi æstimandas esse ex calore & frigore. Nam feruidæ & calidæ sorbitiones non malè habent stomachum. Adhæc tardam concoctionem iuuant omnes potiones quæ frigida sumpta per tenuem fistulam intercluduntur, Celso autore. tamen nonnunquam fere sentitur torridus stomachus, quoniam fatigatur condita intus inflammatione, semit ardores febrium, aut laborat corruptis humoribus qui extorrent. Cæterùm calor iuuat stomachum,

machum, vt cætera neruosa, quibus non reluctatur, nisi haberet vim deflagrandi. Sed ex genitis mortalibus nemo sustinet ardores qui cremandi vim obtinent. deinde sole clarius est, neque frigus niuium simile, neque ardorem igneum intus membratim insinuari, nec moram prorogare circa interna viscera, etiamsi diu maneant stomachi dolores. Pariter stomachus nullum cruciatum percipit refertus escarum abundantia, donec turgeat, & persæpe hæreat distentus, nisi data esca in aliquam perniciem transierit. Sed quicquid antipathia vel discordia quadam naturali nobis inimicatur, est præcipua causa doloris. Itaque vrina remorata & calculus sæpe grauissimas rosiones creant sine vllo sensu caloris aut frigoris, quia modò sua insita discordia nobis officiunt. AEquè quoque labes humorum & cruditates escarum quæ putrescunt in bilem, pituitam, & vitiosos humores, sua naturali discordia nos vexãt, quum natura hebes est, nec eorum perniciem vincit. Porro stomachus iure percipit acerbissimas rosiones. eius enim sensus est acerrimus, continetur locis qui protinus laborant humorum pernicie ingestabili. Neque solum acrimonia escarum quibus indulgemus, malè habet stomachum: siquidem vinum acerrimum ac potentissimũ, piper, zingiber, & infinita rerum acrium genera sunt stomacho innoxia, nisi degenerent in corruptam materiam. Etenim quæ dolorem creant, includunt virus & naturalem discordiã, quæ doloris causa est. Cæterùm liquidò constat omnibus stomachum naturaliter laxari & comprimi, quo foret aptior captandis epulis, quibus nonnunquam indulgemus liberaliter. Iure ergo plerumque laborat inflationibus: effunditur enim & laxatur ex his quæ nocent, manétque solito laxior, & inflatur, nec redit eius naturalis astrictio. Cuius vtique mali causam imprudenter admodum physiologi metiuntur ac pon-

derant ex flatibus, quibus perhibent impleri & fatigari stomachum. Atqui certum est flatus ex stomacho latissimo protinus vaporari & fluere, nec in eo moram prorogant: sed inflationes sæpenumero moram trahunt in stomacho, cúmque grauiter opprimunt. Nam ferè sequuntur incommoda iocinoris, lienis & præcordiorum, quæ stomachum affligunt, effundunt largius, nec in posterum facilè comprimitur vt assueuerat, debilitatus quum sit. Pariter noua vina, mustum, legumina & pleraque genera alimentorum protinus stomachum inflant. exhibēt enim vitiosam quandam materiam, quæ omnia prosternit, & inflationis causa est. Quûmque vapor omnis sequatur humores extenuatos, vanum est tribuere vaporibus quæ sunt humori propria.

DE CONCOCTIONE CIBI & potus, CAP. XX.

MIHI videntur incurrisse in grauissimas reprehensiones physiologi, qui credunt vniuersa alimenta in stomacho percoqui antequam subeant intestina. Proinde comminiscuntur inter epulandum occlusum canalem qui stomachum finit, donec plenus stomachus percoxerit datam escam, tamen eius os hiat perpetim, panditur quatenus sentiatur plena ciborū saturitas: tum demum præcluditur & cōficitur quicquid assumptum est. Id vtique ex fabulis orsum procul abest à penitissimis philosophiæ fontibus. Nam quandoque temulentia & opiparè paratum conuiuium nobis sufficiunt vberiores epulas & obsoniorum copiam maiorem quàm stomachus suo vastissimo amplexu possit continere. Quúmque physiologi deprehenderent assationem & elixationē cibos cōcoquere, quæ tamen ministrat luculentissimus ignis, eodem argumento conuicti statuerunt insitum calorem qui datas epulas conficeret, nec possunt insignē con-

concoctionis varietatem separare. Porro concoctio naturalis abducit sumptum cibum à suo proprio statu, cúmque assimilat rebus quæ aluntur: sed quæ assantur & elixantur, eadem remanent, neque degenerant in aliam naturam, nisi hæreant minus noxia stomacho ac interaneis. siquidem mollitur eorum intolerabilior pernicies, nec tam facilè putrescunt in labem humorum. Adhæc ieiunis vinum protinus epotum sine mora sentitur vmbilico, percipitúrque per initia cōcoctionis quam perhibetur stomachus præstare. Deinde qui diutinis epulis indulgent, & liberaliter bibunt, sæpenumero nondum finito pastu liberali lacessuntur vrinæ libidine perpetua, ac eam reddunt. Neque dubium est sumptum cibum ac potum properare per stomachū ad intestina, in quibus percoquitur. Idque palàm testabitur infans anno suæ ætatis octauo: qui quum infirma valetudine ac ludibūdus sæpe mihi veniret obuiam, inuestigarémque iugiter eius vmbilico ferri cibum crudum, nec vllo modo mutatum, nunc similaceum panem, mox cibarium, statim pisces, aliàs oua, cœpi celebrare concoctionem dissonam triuialibus medicis. Ictus etiamnum ventris præstantiores, qui omentum discutiūt, sæpe ostendunt intestina deuoluta & referta crudis epulis. Cæterùm vescimur duplici escarum genere. nam aut liquamēta & potiones sorbemus pro cibo, aut sumitur densus, & dentibus teritur. Porro vterque fertur per stomachum, in quo non moratur diutius, sed properat ad intestina, nisi meatus intestinorum aut effuso robore virium, aut alia de causa præcludatur, nec cibus eô transmitti possit. Iure ergo natura suffecit vastiorem stomachum, quò sorberet aptius escas omnes, quæ nonnunquam vrgente immoderato ieiunio demorātur liberalius, deinde paulatim subeunt intestina, donec quiescat ciborum auiditas. Ingens enim alimentorum abundantia quæ ili-

co deglutiuntur, subinde intercluderet angustos intestinorum canales:nec quisquam in eodem tempore,maximéque inedia pressus,sibi sufficeret alimenta necessaria saturandæ fami. Itaque natura muniuit stomachum vegetiori virium robore, ciúsque pars ima corpulentior est,vt promptius eructaret ac transmitteret cibum datum sæpenumero liberalius. Qúumque Celsus deprehenderet stomachum resolutum interdum nihil continere, & inhibere corporis refectionem,voluit celebrare ptisanæ aut alicæ cremorẽ inferna parte in aluum inditum : siquidem tuetur vires,neque solùm stomachus percoquit alimenta quæ sumuntur.nihilominus est dilucidum plenius & cõmodius alere quæ deglutiuntur & ingeruntur in stomachum.nam mutantur pluribus in locis, & peruagando sigillatim per intestina, nobis largiũtur quicquid habent vtile ac idoneum ad alendum, rigátque vbi opus est. Verùm priusquam stomachus ac intestina cibos conficiant,per initia cibus densus ore continetur,teritur dentibus sedulò,& manditur:adhęc sorbentur potiones, cunctáque mista inuicẽ ita mergũtur aut macerantur, vt potiones & liquores sorbeãt omnẽ essentiã cibi densi idoneã ad alendũ, quã iecur elicit ex intestinis, discurrítq; per venas mesaraïcas, tanquã per riuulos : reliquũ verò stercus descendit, pessum it,figuratur in plenioribus intestinis,& redditur aluo. Idcirco vetustissimi medicinæ autores duo intestina potissimũ segregauerũt:ex quibus tenuia cibũ & liquores cõtinent,in plenioribus stercus figuratur. Porro sitis ilico properat sumptis dẽsis alimẽtis, ac vbi desierunt homines cibũ dẽsum ingerere: quoniã liquamẽta quę dãtur pro potu, protinus ad iecur penetrãt,hauriũtur ex intestinis,& rigant partes corporis quæ aluntur. In posterum ergo requiritur aliud potionis genus, vt abundantius sorberi posit cibi densi essentia paratissima ad alẽdum in intestinis superstes.

perstes. Neque dubiũ est intestina, simúlque stomachũ concoquere cibũ, macerando escam densam in liquore potabili, nisi vim sorbitionis obtineant quæ sumuntur, impleántque vicem cibi densi & potionis. eodẽ plane modo medici mergunt rhaponticũ aut agaricum in succis aut liquamentis, vt eliciant vtriusque vires ad medendum necessarias. deinde fæces escarum & stercora inutilia ad alendum egeruntur & detrahuntur per aluum. Cæterùm concoctio alimentorũ peculiaris stomacho simúlque intestinis, cõstat secretione partiũ vtiliũ ab his quæ sunt superuacuæ ac inutiles. neque tamen solùm secretionis vim obtinet, sed etiã sumptum cibũ instruit, reddítque paratiorẽ ad alendũ : qui quidem suggerit iocinori liquamenta, eáque in sanguinẽ transeunt, hic discurrit per venas, rigátque membratim totum corpus vbi opus est. Sole clarius est, vniuersas concoctiones desiderare separationẽ eorum omniũ quæ assimilationem morantur ac inhibent: quibus demptis manent quæ nota sunt perutilia ad formandũ sanguinem, quæque plenam corporis refectionem exhibent. neque subscribendum est philosophis qui tradunt, stomachũ ac intestina suo calore molliri plenam concoctionẽ eorũ quæ sumuntur pro cibo : qui tamen multo languidior est calore infinitarum corporis partiũ. quãuis alimẽta haud possint cõfici absque vegetissima & potẽtissima corporis facultate, aut sine viribus partis quæ cõcoquit. Præter hæc autor est Celsus tardã concoctionẽ iuuari præclusis cũctis potionibus, frigida hausta per siphonẽ: cui quoque auxiliatur vinũ epotũ frigidũ. quæ tamẽ reluctãtur calori, & cũ infrænant aut molliũt: verùm suo frigore robur viriũ firmant, stomachum astringunt, stabiliunt, excutiúntque omnẽ eius quasi segnitiem. Perspicuum est externis partibus frigidam infusam recreare ac intendere calorẽ internum earũ, qui quidẽ minuitur ingesto frigore.

Cæterùm concoctio de qua agimus, non est vera assimilatio, sed apparatus idoneus assimilationibus quæ deinceps nascuntur. In hunc ergo modum cibũ parant intestina simul cum stomacho, nec eo alũtur, sed modò sanguine, quem iecur exhibet per venas & semitas quibus rigatur totum corpus. Sanguis ergo rubore fit viduus, vt reficiat intestina & stomachum, densatur conglutinatúrque, & fit similis vtrique. cuius quum mucosa natura haud possit assimilari, redũdat vt materia superuacua, & protinus pituita exoritur. Iure ergo nerui, cerebrum, stomachus ac intestina patent noxis pituitæ. Cæterò vt omnia in pauca conferam, concoctio est opus eius facultatis quæ in coquendo cernitur.

DE ALIMENTORVM appetentia, CAP. XXI.

MIHI videntur philosophi summi nominis incurrere in magnas reprehensiones, vbi persequuntur incommoda auiditatis escarum. Nam que eorũ causas omnes metiuntur ex frigore, siccitate & immoderata detersione stomachi. neque enim frigus moratur intus longiori tempore, quum animalia naturali calore iugiter instructa sint. Adhæc siccitas haud nocet diutius stomacho, quem assiduo potu rigari cernimus. Iam verò detersio conuenienter aptatur malis & viscidis humoribus, qui squalorem obducunt, & negotium exhibent: idcóque stomachum quodãmodo iuuat, recreátque. Porro non est dubium suprapositas opiniones mẽte & cogitatione depingere philosophum, eásque ex toto abhorrere à natura. Cęterùm noxas appetentiæ medici in duo genera separant, bulimum & anorexiam. Nemo negat, appetentiam esse proprium officium mentis. etenim flagrat escarum suaui auiditate, necnon expetit cibos sibi perutiles, simulatque intuetur eorum vsum necessa-

ceſſarium,nec aliter vires cōſeruari poſſe. Cæterùm quemadmodum ex mentis conſilio pedes vario motu pelluntur,licet etiamnum manibus diuerſa munera præſtare:æquè quoque ſtomachus eſt auidus epularum.Idcirco non ſunt in pretio medici qui comminiſcuntur alimentorum auiditatem fuſam per totū corpus:opinantur quoque ex eius langore macie cōſumi ægrotos.ſiquidem hæc ciborum appetentia ſenſuum aciem fugit.Deinde cibus in totū corpus delegatur quadam vi abdita peculiari ſingulis eius partibus.quemadmodum iecur haurit ex inteſtinis liquamenta, vt ea transferat in ſanguinem quo veſcimur. Cæterò bulimus eſt vitium appetentiæ, cuius cauſa expetit plura quàm ſit opus,ídque non mouet externum frigus.auget enim vires,& ſtomachum firmat: verùm eodem planè modo ſtomachus allicitur ad noxiam auiditatem, atque podex ſæpe laborat inani deſidendi cupiditate:quoniam intus conditur materia inutilis quæ fatigat ſtomachum, eúmque inuitat ad cibos inutiles. Quamobrem ægroti cibi inutilis ac inuſitati plerumque ſtudio flagrant, terram ac lapides edunt, & ex noxis humorum facilè incurrunt in malum corporis habitum.Præterea bulimum plerumque concitat datum venenum,corruptiones humorum, nec non crudus cibus, qui putreſcit in bilē, pituitam, & materiam quæ profligat ſtomachum, & mouet irritam ac vitioſam ciborum appetentiā:quæ quum diu manet,ſæpe in anorexiam ex toto degenerat, quoniam intus facilè recreſcit labes humorum, atque ciborum cruditates & corruptiones intenduntur,ſubuertunt protinus ſtomachum,eúmque ſtatim effundunt in periculoſas vomitiones. Simili ratione effrænata auiditas eſcarum ſubinde comitatur ventris animalia, quæ vtique ſtomacho nocent, necnon maturè fruſtratur datis epulis, quarum eſt auidiſsimus.

DE MORBIS INTESTINORVM, CAP. XXII.

Dvo intestina medici potissimum solent separare, ex quibus tenuiora continent modò liquamenta ac cibum: verùm in plenioribus aut laxioribus stercus figuratur iuxta naturam singulorum animantiũ. Quamobrem iure eorum deiectiones ventris plurimum variant, etiamsi calor mitissimus cuique modò sit peculiaris. Porro certum est quandoque tenuiora intestina cruciari, nonnunquam laxiora. Quúmque ex plenioribus intestinis dolores recrescunt, sæpenumero irruunt in stomachum, cúmque effundunt in vomitiones intolerabiles: siquidem aluo astricta, dolores concitati facilè intercludunt intestinorum canales, donec nihil liceat aluo transmittere: necnon stercus per os redditur. Iure ergo vir magni nominis Hippocrates memoriæ prodidit, libello coacorum prænotionum, immoderatas vomitiones interdum terrorem incutere, quoniam cuncta sursum euocãt, præcludunt intestinorum emissaria, eáque in scirrhũ indurant, & per id tempus cuncta sunt in præcipiti. Nemo ambigit, aliquando crescere vitia intestinorũ, & colicum dolorem, mouere aliquas inflammationes, adferre cancrum intestinis, ea discutere, lacerare, & velut scalpro adacto præscindere quicquid cariosum est, donec sequatur atrox interitus. Præter hæc non sunt repudiandi qui tradunt, aliquando detrahi calculos per aluum, quibus pulsis quiescit morbus intestinorum. Similiter mollitur tineis & vẽtris animalibus quæ exiguntur. Cæterùm illustrissimus Ioannes Kodkienisch Rutenus defunctus est diutinis alui rosionibus, simulac descendit aluo oblongus folliculus similis intestino, inanis, sine tineis, necnon leuiter suffusus pallido quodam humore. Iam licet ridere physiologos, qui quidem metiuntur ac ponderant

rant intestinorum rosiones ex flatibus, & quibusdã irritis intemperaturis: siquidem flatus non cruciant hominem, nisi in tetrum virus ac perniciem intolera bilem desciscant: nec sine humore flatus nascuntur. Quamobrem rosiones intestinorum creant incommoda materiæ quæ intus abditur: cibus quoque crudus qui vitiatur in bilem aut pituitam, & quicquid cohibetur magno intestinorum amplexu, nec potest reiici, & sua naturali discordia nos impugnat.

DE TINEIS.

CAP. XXIII.

VARIA genera tinearũ sæpe fatigant hominum interanea: ex quibus aliæ sunt teretes, quædam latæ: nonnullæ repræsentant erucas, sanguisugas, & bestiolas quæ sub vasis aquariis stabulantur. interdum assimilantur pisciculis, subiiciunt etiamnum variam cõpagem rerum & ostenta incredibilia. Cęterùm cuncta ventris animalia, quoquo modo figurentur, oriũtur ex labe humorum & materia inutili, necnon ex esca cruda, quæ vitiatur in bestiolas huius generis, nec potuit sustinere plenam naturæ concoctionem. quare pro assimilatione degenerat & putrescit in tineas. Quocirca tineosi gignuntur ex ingluuie, malis cibis, aut effuso robore virium, quatenus inhibeatur nutritio. Proinde infantes, omnes edaces, quique vescũtur liberalius carnibus, facilè incidunt in ventris animalia. Similiter febres subinde prosternunt ventrem inferiorem, mouent cibum crudum, qui deinceps vitiatur in tineas. AEque quoque aluo astricta protinus alimenta corrumpuntur, & transeũt in lũbricos. Nemo negat, tineas fieri fotu quodã materię vitiosæ quæ intus subest; nec potest molliri, nec assimilari vt decet. Nõ est dispar ratio pediculorũ.

ſunt enim cutis animalia, ſubeunt extremitates corporis,& comitantur inutilem materiam, quæ putreſcit in pediculos,nec aliàs mitigatur.

DE ALVI FLVORE, Cap. XXIIII.

Natvra frequenter ſibi conſulit alui fluore: mollit enim cuncta corporis incommoda, niſi tranſeat modum.nihilominus quãdoque aluo fertur ſanguis liberaliter, aut effuſo virium robore, & ſimulac vitioſus eſt,nocet,neque poteſt aliter expelli.Similiter nonnunquam ob immodicas ventris reſolutiones fatiſcũt vltra modum venarum ſpiracula,ſanguis ruit deorſum,neque metu caret.Cęterùm dyſenteria eſt nomen proprium torminibus quæ comitantur intolerabiles perturbationes ventris, & longè deteriores,quia cruciant aluum.Porro etiamſi dyſenteria frequenter appareat inteſtina lacerare, mouere cancrum,corrumpere,necnon incutere terrorem: tamẽ dyſenteria iugiter non concitat vlcerationes inteſtinorum,ſed ſequitur labem humorum qui ſuo curſu torquent aluum. Cæterùm ſtatuuntur duo vitia ventris inferioris.nam vel aſtringitur vltrá modum, moratur fæces,neque in eo figurantur, ſed repręſentant baccas caprinas:vel eſt obnoxius profuſionibus. Porro non ſunt in pretio qui opinantur torridos æſtus iocinoris aluum contrahere,quoniam ſiccant inteſtina,necnon cuncta eorum liquamenta exhauriunt.ſiquidem iecur combibit elicítque ex inteſtinis duntaxat liquores idoneos ad alendũ:cætera peſſum eunt, atque detrahuntur per aluum.

DE OPPILATIONE iocinoris, Cap. XXV.

Iocinoris oppilatio omnibus medicis frequẽtiſsima impellit in turpiſsimum errorem gregarios phy-

physiologos: qui quum non tenent innumerabiles corporis noxas, protinus cõfugiunt ad oppilationes iocinoris, quas eodem planè modo tribuunt multis locis, quorum nulla sunt spiracula, nec vlla emissaria quæ occludi possint. Cæterò certum est obstructiones peculiariter accommodari emissariis excrementorum. Quare aluum inuadunt, fatigant fistulam vrinæ, subeunt aurium spiracula, & narium iter occupãt. Neque verum est venas toto corpore fusas præcludi, nisi impleant vicem meatuum, quibus natura liberatur suis incommodis: cuius generis venæ subeunt vuluam, podicem, & alias corporis partes. Deinde pupilla dicata visui quandoque obstruitur abusu quodam naturæ. nam plerumque frustratur fusis corruptis humoribus, qui suo cursu intercludũt partes ad vitæ vsum necessarias, & subeunt nonnullos corporis meatus pro emissario naturali. quúmque venæ laborant nimio farctu humorum, aut immodica plenitudine, nihilominus ex eo nullas sentiunt oppilationes: siquidem obstruuntur modò canales corporis, quibus vniuersa eius purgamenta effluunt. Quamobrem licet statuere vanas ac irritas iocinoris oppilationes, nisi priuatim exerceant canalem biliosi folliculi. At ramuli venæ cauæ & venæ portæ, qui iocinori incumbunt, non existunt vniuersi corporis emissaria, neque accommodantur eius purgamentis, sed impertiunt plenum alimentum cunctis corporis partibus, quibus obstructis necessariò tabescunt. Deinde sole clarius est, sanguinem esse nobis tributum pro pastu, quem singulæ corporis partes sua priuata facultate hauriunt ex iocinore & locis quibus continetur per venas, quasi per canales. Neque vis trahẽdi toto corpore fusa vllis oppilationibus relinquit locũ. trahit enim exugítque cruores sibi vicinos, quibus pars quæque saturatur, necnon protinus alius comitatur sanguis pro cibo, qui exhausti locum occu-

pat,& reſeruatur in futurum pro paſtu,quum opus e-rit,ne aut vaſorum vlla inanitas accedat,aut vaneſcat cibus neceſſarius ad alendum,atque deficiat. Idcirco nunquam ex toto præcludũtur venarum canales, ſed iugiter continent ſanguinem. Cęterùm medici ex-pertes philoſophiæ metiuntur ca:ſas morborum ac remediorum ex verbis obſcuris,vt loquãtur tectius: tamen Hippocrates non inducit huius generis oppi-lationes.quúmque nonnulli exiſtimant vitioſas alui reſolutiones tolli vreticis medicamentis, quia ſuccur runt oppilationibus quibus mouetur venter, labun-tur euidenti errore.ſiquidem vretica euocant ex aluo noxas humorum quibus liqueſcit, neque aliàs ſunt auxilio immoderatis ventris perturbationibus.

DE LIENE, Cap. XXVI.

Constat inter omnes, naturam vti puriſsimo ſanguine pro paſtu.Neque ſunt in pretio qui tradũt, ſanguinem corporatum ex diuerſis humoribus eodẽ planè modo inuicem miſtis atque res miſtæ ex ele-mentis corporantur.namque defæcatur ex toto ſan-guis,vt alendi vim poſsit habere. Quare iugiter ferè rubeſcit,niſi fuerit vitioſus:deinde bilioſus folliculus ex ſanguine ſeparat cuncta incommoda fellis. Nihi-lominus non celebrantur phyſiologi qui exiſtimãt lienem haurire & perpurgare omnem nigritiem ſan-guinis,necnon eius cuncta incommoda:ſiquidẽ nul-lus eſt canalis qui ex iocinore appareat ſubire lienẽ præter vaſtiſsimas quaſdam venas quæ ſanguinẽ con tinent.veruntamen cernuntur euidentiſsima emiſſa-ria bilioſæ materiæ,quæ dilutior eſt atris liquamen-tis omnibus.Præter hæc venæ ſunt riuuli ſanguinis, quibus fertur per totum corpus, neque naturaliter cuiquam donantur cauſa defæcandi.Quúmque niger humor ſit craſsior,& corpulentior felle,foret illi ne-ceſſarius canalis laxior & vaſtior,vt quocunque pro-rumpat.

rumpat. Proinde ſcire licet, ſplenem eodem planè modo atque iecur ſufficere ſanguinem ad alendum idoneum. verùm iecur exhibet duntaxat ſanguinem quendam dilutum aut liquidum, qui ægrè denſatur, corporatur, ac degenerat in ea quæ alenda ſunt: ſplē autem inſtruit ſanguinem aſtringendi facultatibus. Cæterò quemadmodum lac dilutum ac liquidum miſto coagulo protinus ſereſcit, cogitur in caſeū & rē ſpiſſam: æque quoque ſplē impertit ſanguini liquido quaſi coagulū, vt ſpiſſeſcat, corporetur, atque reddatur ſimile partibus quæ cibū capiunt. Porro incōmoda lienoſa maturè concitant ſcirrhum. nāque ſplenem ferè fatigat materia prædita aſtringendi viribus.

DE CALCVLIS,
CAP. XXVII.

DECLARAVIMVS libro ſecundo animaduerſionum phyſicarū in Ariſtotelē, diuerſa genera liquorum fieri in intimis terræ locis, quos adferunt aquoſa liquamenta, vbi ſuo aſsiduo curſu cumulant mucoſum terræ craſſamen: deinde durantur in lapides aut metalla ſui generis. Idcirco fuſa metalla in liquamen & ſuā priſtinā eſſentiā degenerant: ęquè quoque lapides diuerſis in locis corporis ſæpe coquūtur, quoniā vbique ferè peruagatur mucoſum ſpiſſamen, & paratiſsimū ad corporandū in lapides. Iure ergo patent calculis renes perui ſuprapoſitis humoribus, quíque ſuo glutine affiguntur internis vrinæ canalibus, necnon perfuſi eius aſsiduo curſu, paulatim ſereſcunt, ac durantur in calculum: qui quum aridior eſt, nec vllo quaſi glutine renibus adhæret, ſuapte vi ſecretus fertur & expellitur vrina fuſa, aliquando mouet roſiones intolerabiles, ſtomachum ſubuertit, cruciat inteſtina, quia renibus inſident laborantibus calculo, ſentiunt eorum noxas, necnon gregarios medicos facilè coniiciunt in turpiſsimum errorem.

Licet ergo plerumque æstimare morbos intestinorũ ex intolerabili calculo renum: eodem planè modo calculi occupant vesicam, malè habent biliosum folliculum, impediunt vastos cordis sinus, atque diuersis in locis coguntur. Nam simulatque in vastiores aliquos sinus irruit mucosum crassamen, manet longiori tempore, facilè siccatur perfusum perenni cursu humorum, qui tenues ac dilutiores eius partes detrahunt, reliquæ verò durantur in calculum. Itaque vrina strigmentosa, & prædita mucoso sedimento & spisso admodum, protinus cogitur in lapidem. namque mucosum omne crassamen extenuatur paulatim liquida iugi aspergine, & inarescit atque densatur. Iure ergo vinum, ceruisia, & omnis potio, in qua mucosa fæculenta naturaliter pessum eunt, facilè cõcitant calculos. Idcirco Galli, Britanni, Vngari, & Germani patent calculis & rosionibus vrinę. hi enim omnes indulgent ceruisiæ, vino, aut potionibus in quibus sidunt fæces admodum mucosæ: Ruteni autẽ liberantur cunctis incommodis calculi, quia mulsa vtuntur pro potu, eámque condiunt flore lupulorũ, in faciem ceruisiæ, in qua nihil fæculentum sidit. Porro tradita mulsa pellit vrinam, iuuátque eius angustias: calculi autem colorantur in renibus & alibi fellea quadam perfusione, quæ miscetur materiæ calculosæ. Iam licet intelligere physiologos occupari turpissimis erroribus. etenim comminiscuntur calculos friabiles & perfaciles ad soluendum, quos iecur creat ex torrido sanguine qui fertur vrinæ profluuio. siquidem sentiũtur mitiores ac molliores iocinoris æstus quàm valeant ad conflagrandum: neque iecur siccãdi vllam vim habet, assiduè riguum & suffusum liquamentis quibus vescimur, neque quidpiam cogit in calculos. Verùm huius generis lapides durantur ex humore minus glutinoso, qui serescens in sabulum degenerat; sin autem iecur incidit in calculos, certum est eos

est eos fieri ex spissamẽto quodam glutinoso, quemadmodum suprà posuimus. Ceterùm vesicæ calculi aut nascuntur ex renibus & eorum sabulo crescente in vesica, vel oriuntur ex crassis sedimentis ac mucosis fæcibus quæ intus in vesica durantur. Idcirco nonnunquã mollissimi vesicæ lapides visuntur. Neque sunt in pretio qui tradunt calculos fieri ex nimio æstu internorum viscerum. neque enim intus vnquã extorret calor ardentior febribus acutis & flagrantissimis: qui tamen mollior est quàm ex eo quidpiã in calculum durari possit. Nemo negat, sinus & singulas corporis cauitates obnoxias calculis rigari ferè perenni cursu liquorum, neque sitire vnquam, neque radicitus sorberi eorum liquores. Quomodo ergo ex eorum torrido calore quidpiam serescere poterit & cogi in calculum?

DE VRINAE ANGVSTIA, CAP. XXVIII.

CERTVM est inutilem materiam identidẽ pelli vrina fusa, eodem planè modo atque per aluum exigitur. Nihilominus quandoque magnos dolores mouet, & creat dissona corporis tædia. Cæterùm nonnunquam remoratur cursus vrinæ vbi senectute ac effuso robore virium collabuntur vrinæ riuuli, resoluuntur, neque vrinam sorbere possunt, neque reddere. Pariter deuolutis ex alto quibus vertebræ spinæ excidunt, quatitur spina, nerũi contrahuntur, resoluũtur aut languent, vrina subinde restitat. Simili ratione vbi vlcera aut calculi fatigant vrinæ emissaria, vel eorum quãdam viciniam, vrina cohibetur. Iure ergo ex meretricio coitu properant angustiæ vrinæ. Quidam procurator causarum forensium correptus grauissimis vrinæ difficultatibus, incidit in carnem hebetem, quæ tãtopere luxuriauerat circa externas vesicæ partes, donec eius sinus haud videretur vastior

humano pollice, neque appareret vesica figurata vt æquum est. Nihilominus interna pars fistulæ vrinæ detinebatur modò excrescente carűcula hebeti, quæ haud superabat ducatum Vngaricum : ídque orsum est finita quartana febre, quum æger veneri fortè indulgeret. Cæterùm malum diabetem appellamus quum vrina supra potionum modum, etiam sine dolore profluens, maciē & periculum facit, neque est sine febre, vtique lenta, nec sine immodico virium lapsu. Cuius vtique mali interdum causa est resolutio neruorum spinæ, aut cōuulsio: mox febris lenta, nūc ardēs quādoque periodica. aliàs vesica laborat fluore vrinę, iuxta ac sudore corpora digeruntur, aut fluit aluus, neque figurantur stercora, neque codē modo fertur vrina matura: sed identidem prorumpit, corrūpitur epotus liquor, haud percoquitur, vitiatur stomachus, haud superantur alimenta, sed macies absumit hominē, neque tollitur sitis, verùm vrget inexpleta, stomacho labefactato, qui potionē nō vincit, quoniā sitim mulceret. In hoc morbo vel vrina fertur tenuis & similis haustis potionibus, vel crassa & mista inutili materie, quæ reddit fluidum vesicæ riuulum: neque metus abest, vbi iā senectus oritur vltima. Neq; sunt in pretio qui memoriæ prodiderunt, renes calidos & potentissimos riuos vrinæ ad sorbendum cuncta liquamenta diabetē mouere. nam vegetior pars quæque manet integra & libera noxis omnibus. Qúmque pueri in somno haud morantur vrinā vt æquū est, premuntur saumo alturæ, donec hebescat vrinæ sensus : æquè quoque senes præditi sensu retuso admodum, nonnunquam per somnum haud percipiūt vrinæ fluorem. Noñ est dispar ratio temulentię, quia mouet somnum grauissimū, qui infirmat vrinæ sensus. Idcirco licet ridere physiologos qui suprapofita corporis fædia metiuntur ac ponderant ex calore, frigore, nugísque eiusdem generis.

DE STIMVLIS VENERIS, CAP. XXIX.

CONVENIT omnibus, naturalia nobis esse tributa vt cuique liceret nouisse venerē, & natura inuitaretur ad generandos sibi similes fœtus, quò sequi posit quædam rerum æternitas. Iure ergo veneris auidiores exoriuntur quibus inualescunt naturalia,& firmatur totius corporis bonus habitus,maximéque si mens teneatur veneris studio. Eam vtique augent robusta verenda, adhibitis cuiusque deliciis & arbitrio humano. Eodem planè modo cæteræ corporis partes in suo munere versantur ex hominis arbitrio & consilio mentis. Quocirca suauis intuitus fœminarum quæ placeant,redditur maturum inuitamentum languidæ veneris,& propemodum extinctæ radicitus,si altius nostris animis insideat,donec ex eo sæpe homines visi sint efferri in rabiem. Porro certum est,interdum hebescere virilitatem,nec erigi vnquā, nec rigescere,quum vim neruosam obtineat,exoluitúrque neruorum instar, etiamsi huius generis viri gratas habeant fœminas. Itaque torpedo piscis & pleraque venena infirmant virilitatem, extinguúntque arrectionem,quia neruis refragantur, ac eos malè habent. Idem ferè mouet temulentia & frigus niuium simile. Adhæc castrati virilia erigunt, sunt fœminarum & veneris auidi:tamen haud vibrant vrinam genitalem, exemptis riuis & excisis locis quibus fertur & cōtinetur genitura. Namque instruuntur virilibus integris, obtinéntque firmam fistulam genitalis vrinæ,ac idoneā ad concubitus exercēdos, quę nec euomit geniturā,nec eā recipit,detractis mēbris quibus cumulatur.Cæterùm priapismus perhibetur noxia arrectio pudēdorū, quæ haud comitatur vllū mētis cōsiliū,emergit violenter, neque ex toto

eſt diſsimilis cõuulſionum. Quamobrem calculi, inflammationes paraſtatum, & pleraque tædia partiũ genitalium ocyſsimum priapiſmum adferũt abſque ſtimulis veneris. Nam huius generis vitia ſtatim nos proliciunt ad irritas ac violentas arrectiones: æquè quoque facultates diuerſarum corporis partium frequenter ſine voluntate in ſuo munere verſantur ex vanis & inutilibus irritamentis quibuſdam. ſin autẽ diutius hæreat priapiſmus, teſtatur in futurum noxas neruorum terribiles. Neque ſunt in pretio phyſiologi qui memoriæ prodiderũt, virilia plena flatu modò erigi, quia fortè efflant fœdum quendam odorẽ ſibi proprium ſine vllius liquoris fluxu, ſed ex halitu fœdo erumpit: ſiquidem vaſtior eſt laxiórque riuus genituræ, nec longo tempore moratur eruptiones flatuum, neque in eo properant flatus iuxta ac emergit arrectio. Deinde arrectio ſæpe moram prorogat, verùm flatus ſtatim vaporantur in largo canali, nec obcæcato eorum meatu. Adhæc flatus ferè gignit materia inutilis: verùm arrectio eſt nobis donata naturaliter, teſtatur quoque vires potentiſsimas & firmum corporis habitum.

DE VRINA GENITALI, CAP. XXX.

MAGNA eſt diſſentio inter phyſiologos de vrina genitali: ex quibus Ariſtoteles, vir ſummi nominis, paulo ſubtilius declarauit ſingulas corporis partes ſaturatas liberali cibo ſufficere quaſdam reliquias genitalibus, quæ tranſeunt in geniturã. cui tamẽ nemo iure aſſentiri poteſt, ſiquidem nulli riui diſcurrũt toto corpore, quibus ferri poſſint reliquiæ ſuprapoſitæ, & rigare verenda. Nihilominus eſt dilucidum naturam ſemper vti riuis euidentiſsimis, vbi neceſſarium eſt liquidam materiam fluere membratim, & rigare corpus: imò verò oculi ceu vaſa ampliſsima reci-

recipiunt viſibilem animi partem per largos canales. Pariter nobis donantur nerui venæ & arteriæ: ſed nulli ſunt riui genitalis vrinæ qui diſcurrant toto corpore. Igitur probabile eſt, Ariſtotelem tribuiſſe verendis facultates, quibus membratim ſorbent tra ditas reliquias nouiſsimæ nutritionis per venas, arte rias, aut cęca ſpiracula corporis. Eodem planè mo do conuincimus inutilem fuiſſe fabricam arteriarũ & venarum. Vno enim canali natura potuiſſet vtriuſque vicem implere. Præter hæc tenuiſsima facul tas animalis poteſt ocyſsimè ſubire iter ſanguinis lõgè vaſtiſsimum, cui tamẽ peculiariter natura tribuit neruos. ſiquidem omnia ſigillatim certa ſerie diſpen ſat ac digerit. Iam verò nouiſsimum alimentum de quo agimus, eſt ex toto ferè perſimile & neceſsariũ ad alendum, nec facilè ſorbetur ex locis quibus ineſt cuſtos virium potentiſsimarum. Sunt etiamnum eſcarum auidiſsimæ ſingulæ corporis partes: deinde quod ſimile eſt denſis partibus quæ aluntur, manet denſum, nec fluit, neque ad naturalia properat, nec breui percurrit iter longiſsimum, quamuis profuſã genituram aliò ſubinde ſequatur. Neque vnquam na tura obcæcat riuos genitalis ſeminis, neque deſiſtit ſufficere genituram aſsiduè, vt æquum eſt, niſi iam malo victa ſit. Adhæc nemo etiam tabe conſumptus caret genitura, quãuis haud plena ſit tabidi ho minis refectio. Cæterùm haud veriſimile eſt, ex languida corporis refectione largiri quidpiam verendis naturaliter, ac eò ruere. ſiquidem natura mortem ſibi conſciſceret, ac intenderet intolerabilem corpo ris maciem. Quum autem Ariſtoteles intueretur ple rumque liberos ſuorum parentum ſimiles, fortè in hunc grauiſsimum errorem incurrit. Porro conſtat omnibus, genitalia inſtrui vegetiſsimo robore viriũ: ideóque firmant totum corpus, mutant odorem ani malium, & ſaporem beſtiarum quæ mactantur. Iure

ergo genitale femen inſtruitur vniuerſi corporis viribus,quò in ſimilem naturam tranſiret,éxque eo ferè liberi ſunt ſuorum parentum ſimiles. Nihilominus deprehendimus perſæpe ex truncis integros gigni, & ex integris truncos: aliàs ſigna quædam, næuos,cicatricéſque regenerari cernimus. Idémque videmus mulieres ſemper ſibi ſimiles fœtus parere, quaſdam viro,quaſdam fœminam patri,marem ſibi, quaſdam nulli,idque ferè abſconditur maieſtate naturæ. Porro crediderim diſſonas miſturas genitalis vrinæ variare ſimilitudines puerperii, quarum tamen reputatio in mente verſatur,velut tradit Plinius. In ea verò creduntur multa fortuita pollere, viſus,auditus,memoria, hauſtæque imagines ſub ipſo conceptu:cogitatio etiam vtriuſlibet animum ſubitò trāſuolans effingere ſimilitudinem aut miſcere exiſtimatur. Ideóque plures in homine quā in cæteris omnibus animalibus differentiæ exiſtunt:quoniam velocitas cogitationum, animíque celeritas, & ingenii varietas multiformes notas imprimit, quum cæteris animantibus immobiles ſint animi, & ſimiles omnibus ſinguliſque in ſuo cuique genere. Nunc reliquū eſt illuſtremus cauſas genitalis vrinæ. Eſt vtique dilucidum iecur diffundere membratim ſanguinem per venas,quaſi per riuulos. Eodem planè modo cor ſuapte vi delegat in totum corpus ſanguinem vitalem per arterias. Porro vterque ſanguis ad alendum neceſſarius primùm fluit per venam & arteriā vaſtiſsimā,quibus hærent ea quibus cōtinetur vrina genitalis,vt cōmodius ſorberēt ſanguinē,vbi opus eſt, quíque in geniturā migrare poſsit. Verùm queadmodu ſanguis candore mammarum inalbeſcit, & ſufficit lactis vbertatē: ſimiliter vereda ſanguinē albore tingunt,transferúntque in genitalē vrinā,quæ vim perfectā ad generandū obtinet ex viribus priuatim cuique donatis. Cæterùm haud dubio argumēto conie-

ctari

ctari licet, duplicẽ geniturã homines reddere, mascu lã ac fœmineã. Idcirco alii aliæque fœminas tantùm generant, a, t mares, plerũque alternãt fusa genitura dissimili: est etiã aliquorũ corporũ peculiaris dissociatio, ac inter se steriles, vbi cum aliis iunguntur, gignunt. quẽ locum aliàs illustrauimus. Iã superest ape riamus nimiã profusionẽ seminis genitalis, vitiúmq; circa naturalia, vnde sic fertur sua spõte genitura sine venere, & sine imaginibus nocturnis, vt spatio interposito tabe cõsumat hominẽ. Cuius mali causæ æstimãdæ sunt ex cõmodis partiũ quibus cõtinetur genitura: quoniã inflãmantur, vlcerantur, occupantur lue venerea, sunt lãguidæ, resolutæ & vexatæ fluore immodico, iuxta ac venæ fluidæ haud morãtur nimium sanguinis cursum. Deinde aquosa & liquida genitura fertur spõte, velut sanguis liquidus & corruptus, neq. retineri potest genituræ profluuiũ, nisi dẽfescat eodẽ articulo tẽporis atque generatur: nã fluit aquę nõ dispar. Iure ergo tabescũt ægroti, nec sufficiunt sibi cibum necessariũ. siquidẽ verẽdis languescentibus, neque validis ad formandã genituram & cõseruandam, necesse est accedere infirmas vires totius corporis, nec ali cibo denso corpora, vt æquũ est. Cõuulsiones & resolutiones mẽbrorum quibus cõtinetur genitura, creant hoc tædium genitaliũ. Proinde meritò ex alto deuolutis plerumque oritur, & capite luxato, malum quoque sonticum id mouet. Cæterò iuuatur medicamentis astringentibus, quandoquidẽ obcæcant riuos seminis genitalis, & firmant languida genitalia.

DE MORBIS VVLVAE, Cap. XXXI.

VTERVM fœminis natura donauit quò fœtus alerent, tuerentur, valerent ad generandum ferendúmque partum, donec ex toto maturuerit. Meritò ergo munitur dissonis venarũ riuis, quibus alitur genitura, & fertur quandoq; labes humorũ qui rigãt vuluã, &

malè habent mulieres. vbi verò materia corrupta incumbit vuluæ, nec effluit, sed moratur intus, cruciat mulieres, exanimat interdum, ac prosternit tanquam morbo sontico. Etenim donatus est vuluæ sensus acerrimus, percipítque ocyssimè grauissimas rosiones, quę vires vltra modum infirmant, sequuntur onera, reliquias ardui partus, atque tædia omnium ferè humorum. Iure ergo repudiandi sunt physiologi qui memoriæ prodiderunt, menses remoratos, fusámque genituram in intimos locorũ sinus adferre vuluæ morbos. nam persæpe deprehẽdimus mulieres locis validissimis præditas, quibus nunquã menses ruunt. nihilominus singulis annis enituntur modò mares, modò fœminas. Deinde vulua haud tuetur nec retinet intus profusam geniturã quæ noceat, sítve inutilis ad generandum. nam protinus fatiscunt eius riui, quibus redditur extrorsum, expellitúrque. sanguis autem vitiosus, labes quoque humorum malè habet vuluã, neque vexatur sanguine menstruo, nisi putrescat, aut misceatur noxis felleis vel pituitosis. qui quum est naturalis, vtique valet ad fœtus alendos, neque offendit fœminas. Cæterùm castæ mulieres interdum alliciuntur ad coitus, quos repudiant virtutis deliciis. eas itaque statim stimulat magna abundantia seminis genitalis, donec sequantur exanimationes periculosæ, efferantúrque velut in rabiem. nihilominus maturè reualescunt pulsis verendis, & agitatis tanquam admoto concubitu. In hunc enim modum pulsa & perfricata eructant semen genitale, quasi vterentur coitu, & quiescunt omnes veneris stimuli, qui fœminas exanimauerant: velut aqua feruens maturè quiescit infusa frigida. Cæterò haud celebrantur qui perhibent vterum peruagari per totum corpus ex strangulatu quem mouet. namque potentissimis vinculis deligatur ibi vbi est, nec facilè aliò transuolat. Porro quoniam magna est e-
ius

ius familiaritas cum vniuerso corpore, nõnunquam videtur procul fieri & fatigare longinquas plerasque partes, quasi vterùs earum peculiares noxas imaginaretur. Cæterùm mola vuluæ vitium est: quare licet eius causas persequi, sequitur autem languidas conceptiones, tædia locorum, ac inualidum semen genitale. Quod quum sexus vterque fundit, & infirmum est, rigat penitissimos locorum sinus, neque potest in fœtum migrare, eius loco molã creat. Proinde meritò vterus languidus ac hebes ex fœtu recenter edito subinde molam generat: huic etiamnum vetulæ patent. AEquè quoque grauidæ interdum simul cum fœtu molam excutiunt, quia nouere venerem vtero pleno, iámque inualido ex conceptu antecedente: quandoquidem meritò inuicem superfœtationis molã promunt. Aliàs ex vno coitu emergunt puerperia simul cum mola. nam inualidus vterus haud potest omnem genituram conceptam in fœtum trãsferre. mola ergo sæpe educitur ex superfœtatione loco fœtus. Cæterò mola est caro informis, inanima, quæ interdum constat humanis interaneis, iocinore, liene, stomacho, donec appareat modò vidua externa corporis facie. Quocirca vt intestina ac stomachus facilè vexantur lumbricis & cruciãtur, similiter tædia vuluæ sequuntur molam.

DE FEBRIBVS,

CAP. XXXII.

FEBRIS & totius corporis & vulgare morbi genus est. Neque licet assentiri physiologis qui naturã febrium metiuntur ex calore præter naturã in corde accenso. siquidem earum accessiones mouẽt persæpe horrorem, frigus, & calorem eripiunt. Algidæ etiamnum febres, quas epialas ceu mites dicimus, nullum ferè calorem adferunt vniuerso corpori: lentæ etiamnum febres ceu pigræ absque vllo calore e-

mergunt,& ſine vlla propemodum remiſsione infirmant virium robur,neque metu carent. Senes quoque prouectioris ætatis corripiuntur ſuprapoſitis lẽtis febribus,quæ quidẽ cum corporis teporẽ dimittunt,qualis ſanis ſolet eſſe.ſunt enim alſioſo corpore. Deinde balnea feruidiſsima,necnõ pleraq. vaporaria ſudorẽ pellunt,tollunt laſsitudinẽ recreant ęgrotos, & ſuccurrunt febribus, quorũ tamẽ ardor interdum extorret,ocyſsimè nos exanimat,neq; eſt naturæ admodũ familiaris. AEquè quoq; feruidæ ſorbitiones, vinúmque epotũ calidũ,nonnunquã iuuant febriculoſos, maximéque ſi detineantur pulmonũ morbis. Sole clarius eſt,calorẽ febriculoſum fieri mitiorem, neque apparet acerbior,neque vires vltra modũ infirmat,neque mouet cruciatus, quibus nos febres plerumque crudelius fatigant.Neq; enim torridã vllam vim habet,nec ſentitur flagrantior feruidiſsimis ſorbitionib' quas ſæpe deuoramus ſinevllo corporis incõmodo.Nemo negat,interdũ ex præcordiis prorũpere calores q totũ corpus exerceant ſimul cũ immodico virium lapſu,quæ ſunt febrium auguria. Tamen ex ſolo æſtu ſubeunte totum corpus nemo poterit ſcienter febres deprehendere,niſi vires ſimul labant, totúmque corpus fatigationes & laſsitudines ferat. Itaque eſt melius febres & earũ præſidia æſtimare ex collectionib' diuerſarũ corporis partiũ,quæ aliquãdo extorrent ſimiles febriũ,aliàs ſine vllo calore cruciant ægrotos:itémq; collectiones ac inflãmationes mulcent & reprimunt mitiſsima cataplaſmata, & fomenta quibus tractãtur,digerũtur humores inutiles & corrupti,q collectiones gignũt.AEquè quoq; febres molliũt medicaméta cathartica, vretica, ſudorẽ pellentia,qa detrahunt omnẽ labẽ humorũ q febres excitant,& digerunt materiã inimicã naturæ.Febriculoſi quoque iuuantur firma cõcoctione ciborũ,ne putreſcerent in vitioſam materiã,quæ intus miſcetur

cauſæ

causæ febrium,& eas intendit. Neque sunt in pretio physiologi qui perhibent cordi insidere primarium febrium fontem,conuicti venarum pulsu inordinato, quem febres mouent eodem planè modo atque inflammationes motu pellunt locum quem exercēt. siquidem vehementiora cordis incommoda, & eius graues palpitationes maturius exanimant ægrotos, quàm febriculosum calorem possint accendere. Præter hæc, morbi vuluæ & vitia cardiaca plerumque mutant venarum pulsus,reddúntque earum percussus inæquales, & formicantes similes moribundis, cordi officiunt,necnon sine vlla propemodum febre exanimandi vim obtinent. Cæterò febres citius malè habent interna viscera,iecur, splenem, pulmones, renes,caput & stomachum,quàm percipiantur cordi negotium facessere: quandoquidē emergunt vniuersi corporis noxæ,& subinde venarum percussus præcipitant, citántque motus earum omnium quæ totum corpus subeunt. Similiter cùm sanguis, tum cæteri humores toto corpore fusi ocyssimè corrumpuntur & putrescunt febriculosis. nam febris vniuersum corpus inuadit. Iure ergo per initia plerumque mouet algorem, tremorem, ceu conuulsionem, & incommoda corporis à tergo. Vtique haud dubio argumento coniectandum est, horrores ceu tremores febrium esse numerandos in conuulsionum generibus : siquidem neruis pulsis violento motu tremunt ægroti, ac vbi inuicti distenduntur : sin autem inflammationes intolerabiles, dolores graues, tetráque vlcera febres creant, infirmant radicitus hominem, cuius humores intus abditos corrumpunt in bilem & pituitam, ac eam ob rem emergunt febrium causæ, quarum sedes incerta manet. Nihilominus simulatque desistunt tradita corporis incommoda, vlcera tetra, dolores ac inflammationes difficiliores, fermè desinit corruptela

humorum, quam mouebant ſuo acerbiore impetu, ſimúlque febris quieſcit. Idcirco huius generis febres philoſophi dixerũt inordinatas, quas alii ſymptomaticas perhibuerunt, quãuis malè habeant totũ corpus. Iã verò febres potiſsimũ fatigant vires ſenſu ac motu prǽditas, hebetant neruos, facilè diſtendũt, mentémque turbant, neque ſcienter æſtimantur ex ſolo vitio cordis. Cæterò eſt dilucidum febres ſequi grauem labem humorum, quíque negotium citò exhibent. Idcirco febriculoſi excernunt omnem materiam obnoxiam corruptionibus, mox felleam, nũc pituitoſam, aliàs nigram, quandoque mucoſam, quæque naturæ ſit inimica. Deinde laborant ſapore felleo, bilioſam vrinam, aluúmque bilioſum reddunt, frequenter felleo ſudore perfunduntur: excreant bilioſa, ſalſa, admodum acria, & variam labem materiæ quæ intus abundat, febrem mouet, & onerat vltra modum ægrotos. Quocirca acer febrium impetus facilè proſternit iuuenes, & firmam ętatem. eam enim onere premit, tanquam ſub graui faſce, & vexat inſigni pernicie humorum, donec vegetiſsimi homines febre fatigati iaceant. Quúmque ſuprapoſita labes in aliquam partem incumbit, neque totum corpus malè habet, loco febrium creat dolores, inflammationes, collectiones, aut vlcera. Neque ſolùm bilioſi humores febrem concitant, verumetiam exoritur ex cruoris incommodis, & corruptela intolerabili, ex ſalſa pituita, mucoſa, & ex inſigni labe humorum qui cõduntur intus, ſimulatque eorum quidpiam, vitioſum quũ ſit, ſe inſinuat per diſſonas & primarias corporis partes. Proinde febres placat, lenitur liberale ſanguinis profluuium, nunc aluus pituitoſa, mox curſus vrinæ mucoſæ. Cæterùm naſcuntur multa genera febrium. ex his enim aliæ ſunt continuæ, nonnullæ diariæ, quodam interpoſito tempore quieſcunt, redeúntque certo circuitu. Porro diarias febres tradunt

dunt philoſophi quæ in longum tempus haud porriguntur,ſed eodem die aut paulo pòſt deſinunt.ſiquidem proficiſcuntur ex mitiore materia, cuius noxæ moram non prorogant. Idcirco bubones peſtiferi annexi diariis febribus metu carent.Neque celebrantur phyſiologi qui febres diarias metiuntur ac ponderant ex inflammatione, putredine, & incommodis ſpirituum,quoniam perſpiciũt earum impetus ſubinde moliri,& ex toto quieſcere ſimiles ſpirituum quibus aer perflatur.Nihilominus alibi perpurgauimus cumulata oratione nobis tributas naturales facultates quæ ſpirituum vicem implerent.Eſt vtique dilucidũ,febres diarias tolerabiliter vrgere,ſed grauiora incommoda ſpirituum,quæque in febrem degenerant,haud poſſunt febrem mouere abſque periculo.nam leuis diſſolutio ſpirituum nos protinus fermè exanimat,& perſæpe ad maturum interitum præcipitat. ſiquidem adfert immodicos virium lapſus, vocémque ex toto ſupprimit.Iam reliquum eſt illuſtremus febres continuas,quarum impetus nunquã omnino quieſcit.nihilominus ex his quædam ſunt lentæ ſine calore,ac ferè ſine dolore:nonnullæ extorrent, quædam naſcuntur inordinatæ ceu ſymptomaticæ,quas demonſtrauimus ſequi priuatos partium dolores,collectiones,mala vlcera,aliámve cauſam euidentem:lẽtas verò febres torridáſque gignit atrox humorum pernicies & corruptela quæ ſubit totum corpus,eiúſque omnes fermè vires impugnat vltra modum.Cæterùm febres lentas aut pigras dicimus, quarum vis intus conditur,neque mouet calores ardentiores.namque dimittunt eum corporis teporẽ, qualis ſanis ſolet eſſe, nec earũ vis vlla oculis patet, verùm creant intolerabilem torporem,& inſignem corporis iactationem:neque metu carent,niſi acceſſerit aliqua remiſsio. quo ſanè genere febrium ſenes prouectioris ætatis ſæpenumero periclitantur. Sin

autem febres tertianæ aut quartanæ ingrauefcunt, vel tranfeunt in febrem continuam, vel in quotidianam, eámve quæ quotidie repetit. Nec fubfcribendum eft phyfiologis qui febres continuas fegregant in finochos, tertianas, quartanas & quotidianas. Etenim affiduæ febres nequaquam habent fuos circuitus fimiles febribus periodicis: quanuis noctu interdũ recrefcãt, mox per dies pares exafperentur, interdum molliantur antelucano tempore, quandoque dies impares eas intendant. nihilominus nullos habent certos circuitus, qui non fint ex toto difpares febribus periodicis, quia nũquam ex toto defiftunt. Quocirca phyfiologi incurrunt in magnas reprehẽfiones, quãdoquidem opinãtur febres continuas fieri ex materia quam venæ fuo amplexu continent. fiquidem frequenter tolluntur vomitu, alui ductione, fudore fufo, vrinæ curfu, necnon quoquomodo infignis labes humorum detrahi poffit, expellitúrque corruptela omnium humorum, qui nullis apparent includi venarum canalibus. AEquè quoque interdũ defiftunt exhaufta corrupta materia, quam venæ feruant, vt cruento profluuio, reclusífque fanguinis riuulis, vt æquum eft. Eodem planè modo febres periodicas haud gignit materia fufa extra venarum magnos amplexus, quoniam fæpe mitigãtur per fanguinis detractionem. Proinde fcire licet, febres continuas fieri ex corrupta materia, quæ nos fatigat acerbius, vix retunditur, nec eius noxæ ex toto quiefcũt fimulatque nos exercere cœperunt, neque dimittũt corpus integrum: fed corruptela humorum qui periodicas febres concitant, eft multo mitior, nec mouet affidua corporis incommoda, verùm interpofitis quibufdam horis redeunt. Eft vtique probabile, cibum datum febriculofis ferè omnibus ocyffimè fermè vitiari in bilem, pituitam & malos humores, neque ex toto alit ægrotum, nifi leuior emergat febris

bris. Quamobrem vbi deprauatur naturæ habitus, nec cibus poteſt percoqui, ſed in corruptā materiā degenerat, febres ſolent moram prorogare, fiūt aſſiduè ex deteriore corruptela, vel periodicæ, quia mitior eſt labes intus abdita, ſiue comprehendatur magno amplexu venarum, ſiue extra venas fuſa ſit. Veruntamen magna eſt diſſentio inter phyſiologos de febribus tertianis & quartanis: ex quibus nonnulli memoriç prodiderūt, humóres tenues ac felleos mouere febrem tertianam: ita relinquit vnum diem integrum, tertio redit. Febris autem quartana oritur ex nigris & craſſis humoribus, qui ægrius corrūpuntur: ita ea finita biduum integrū eſt, ſed die quarto reuertitur. His vtique omnibus nemo iure poteſt aſſentiri. ſiquidem vniuerſa genera febrium concitantur ex corruptela humorum ac inutili materia quæ vexat totum corpus, proſternítq; vires eius omnes. Iure ergo vniuerſe febres deſinunt finita labe quæ intus ſubeſt, profuſáque ex toto materia inutili. Præter hæc tertianæ febres & quartanæ eodē planè modo exhibent felleum ſaporem, malè habent caput, vexant ſtomachum, adferúntque ſuis acceſſionibus ſimiles corporis noxas: niſi quis tradiderit febrem quartanam eſſe inimiciorem lieni: tertiana verò, corpora magis pallore decolorat, & iocinori reluctatur. Tamen vidimus lienoſos recreſcere ex febribus tertianis, neque ſolùm fatigantur ex impetu quartanarum febrium. Idcirco ſcire licet, plurimum variare corruptiones humorum qui febres creant, neque varietas corruptionis eſt ſatis dilucida. nāque aliter vitiantur & putreſcunt humores qui febrem quartanam, & qui tertianā adferunt. Eſt vtique veriſimile, quicquid propemodum ſumitur febre ſæuiente, ilico vitiari in malos humores, qui miſcentur cauſæ febrium, & facilè creant mutuos circuitus periodicarū febrium, quum intus haud contineatur labes vlla

ſatis efficax ad mouendum aſſiduos & perennes ſine vlla remiſſione circuitus febrium, donec ex toto quieſcãt. Nam vis primę corruptionis creſcit ex noua eſcarum labe cui miſcetur. Cæterùm febres quotidianæ omnes aut ſunt duplices tertianæ, quæque frequenter incerta ratione redeũt, aut quartanæ triplices. Porro eſt perſpicuũ, periodicas febres interdum pigreſcere ſimiles lentis continuis, aut quia impediunt ætatem ſenilem, aut quia ſequuntur materiam inutilem, quæ vix intus deflagrat. Verùm turpiter peccant qui induxerunt periodicas febres, quę remigrent die quinto, ſeptimo, nono. Eſt ſole clarius, Hippocratem libello morborum popularium perhibuiſſe febrium continuarum recidiuas, quæ quum deſinunt, nonnunquam redeunt die quinto, ſeptimo, nono: ſed nunquam ratus eſt, febres periodicas diſſimiles tertianis & quartanis febribus. Atqui febres ſemitertianæ obtinent mediam quandam naturam inter cõtinuas ac tertianas legitimas, quas ſuprapoſuimus, quoniam tertio die reuertuntur, nec in remiſſione ex toto deſiſtunt, tantummodo molliuntur, neque dimittunt integrum corpus. Etenim comitantur corruptelam humorum multo leuiorẽ quàm ſit febris aſſidua, quæ tamẽ grauior eſt legitima tertiana commemorata ſuperius. Sciẽter ergo memoriæ prodidit Hippocrates, febres ſemitertianas adferre periculum, vbi radicitus haud quieſcunt, verùm in continuas febres degenerant: quæ quum dimittunt integra corpora, tranſeunt in periodicas febres, & pollicentur omnium ſecuritatem. Idcirco phyſiologi turpiſsimè labuntur. Namque comminiſcuntur febres ſemitertianas conflatas ex periodicis & continuis. ſiquidem omnes periodicæ febres vel in cõtinuas transferuntur, vel hærent iugiter interuallatæ aliquo tempo-
ris

ris ſpatio. Neque ſunt in pretio qui genera febrium ſegregant ex craſsitie & tenuitate humorum inutilium, vel ex calore & frigore. Febres enim omnes mouent humores corrupti, quos perſæpe ſufficiunt cruditates eſcarum quæ putreſcunt in bilem, pituitam, & malos humores, neque effuſo virium robore poſſunt percoqui vt decet. Nunc ſupereſt illuſtremus febres hecticas. Porro naſcuntur irritæ eorum opiniones qui hoc genus febrium metiuntur ex ſolidis denſiſque partibus laborantibus. Tradunt enim ſingularum partium aſpergines roſcidas vel glutinoſas mouere febrem hecticam: quas omnes vtique in ſolidis membris numerant, neque ab his procul diſſentiunt. ſiquidem haud credibile eſt, huiuſmodi repræſentantia partes ſolidas ſentire labem & noxas, quæ ſint febrium cauſæ, poſsíntque diffluere per totum corpus: quandoquidem iam emerſerunt cibi mitiſsimi ſine vlla noxa ad alendum perutiles, iámque adglutinati locis quos alunt: eorum quoque concoctio fermè plena eſt, eáque mulcet cuncta incommoda eſcarum. neque enim humores corrupti ferunt aſſimilationem. Quapropter exiſtimauerim hecticas febres haud diſiungi à lentis, tardis, pigríſve febribus, quas abūdè perhibuimus hactenus: nec perſæpe metu carent, quas iuniores medici ægrius deprehendunt. requirunt enim longum medicinæ vſum, & magnam ſedulitatem artificis.

DE VITIO ARTICVLorum,

CAP. XXXIII.

HIPPOCRATES, philoſophus ſummi ingenii, autor eſt libro ſecundo prorrheticorum, duobus modis diſiungi articulorū vitia, dolores tumoréſq;.

nam vel ſequũtur periculoſos tumores internorum viſcerum, degenerant protinus in tetra vlcera & melicerias, nec fermè ab elephantiaſi diſcordant. Hæc autem incommoda articulorum perhibentur vrgere ſine podagra, ſimilibúſve morbis. nam intolerabilis magnitudo viſcerum tumentium mouet inſignem corruptelam humorum, qui toto corpore feruntur, euocantur in articulos, gignúntque eorum noxas. Deinde vitia articulorum, dolores, tumoréſque exoriuntur cum podagra & ſimilibus morbis, neque emergunt ex tumentibus præcordiis, ſed haud diſcrepant ab inflãmationibus, vel in eas tranſeunt: ſiquidem comitantur inutilem materiam, biliosam, pituitoſam, & inimicam naturæ, quę quidem ex vniuerſo corpore fermè abſcedit, elicitur ex variis locis, irruit in articulos, eos malè habet, mouet dolorem atque inflammationem, niſi detrahatur. Iure ergo ſæpenumero vitia articulorum deſiſtũt, ſimulatque ex articulis fuſa eſt materia ſalſa aut fellea: necnon vbi craſſa vrina fertur, in qua multa peſſum eũt, quæque docent, corpus moueri ab eo ſtatu quo detinetur. Hæc enim mitigant dolorem & inflammationem articulorum. Quúmque in hoc malo præſertim laborent neruoſa corpora, tendines & plicabiles iuncturæ, protinus ex grauiſſimo doloris impetu rigeſcunt articuli, detinentur nodis, nec in poſterum flectuntur tolerabiliter. Itaque incurrũt in magnas reprehenſiones phyſiologi noſtro æuo, qui rati ſunt, nodos articulorum exiſtere dura dolẽtiáque nonnulla tubercula, ἐπιπωρώματα tradita ab Hippocrate libro ſecundo prorrheticorum. ſiquidem libello articulorum nodos appellat δεσμοὺς, quibus rigidi manent articuli, & vidui omni plicatura. Cæterùm licet ridere phyſiologos qui metiũtur atrociſſimos cruciatus articulorũ ex rheumatiſmis intercurſantibus ſubtus cutem, quum viderẽt cerebrum langueſcere

ſcere articulis laborantibus. Nam ſimili iure profligatur vrgente dolore aliarum corporis partium, qui ſit vehementior. Mouet enim maturas capitis deſtillationes dolor grauior fermè omnis effuſo virium robore. Neque dubio argumento coniectari licet, dolentes articulos inflammationibus laborare, quæ vere ac autumno ferè moueantur. Ideóque leuantur mitiſſimis cataplaſmatis & præſidiis, quæ leniūt vniuerſam perniciem materiæ, quæ cruciat & inflāmationem gignit. Quum autem huius generis inflāmationes ſoleant perſæpe redire & ſubire articulos, aut corporis cacumina, opus erat eas alio nomine insignire, neque obtinuerunt nomen inflammationis. Adhæc ægrotos iuuant auxilia quibus peculiariter leuantur inflammationes. Iam licet intueri puerilia deliramenta medicorum, qui tradunt vitia articulorum calida & frigida: quoniam plerūque exercent hominem ſine calore & frigore. præterea omnia ferè incōmoda neruorum & partium corporis à tergo protinus incipiunt à frigore, ſed intentus dolor ardorem excitat. Eſt ſane dilucidum, plerumque intus ſubeſſe inſignem labem humorum, occupare interna viſcera, & rigare dolentes articulos nunc dextra parte, mox ſiniſtra: neque detrahitur modò alui ductione, ſed etiam plenius vomitione exigitur. Adhæc tutum eſt inceſſu, labore, paſtinatione, & quauis exercitatione tolerabili firmare articulos. nam vt totum corpus, ſic articulos ignauia hebetat: nec agricolæ patēt articulis dolentibus. Nihilominus iuuenes pleni corporis huic malo opportunos bonum eſt in frigida mergi per æſtatem ardentiſſimam, velut autor eſt Hippocrates.

DE COLLECTIONIBVS & puſtulis, CAP. XXXIIII.

NEMO negat collectiones fieri ex inutili mate-

ria, quæ in vnum locum incumbit & cumulatur, siue iam ex toto corrupta sit ac putris, siue modò superuacua & inutilis, quæque nocet modò copia maiori, tamen in pósterum putrescit auque suppuratur. Porro mihi videntur turpiter labi qui rati sunt collectiones fieri ex humoribus naturalibus. Etenim comminiscuntur sanguinem corporatum ex bile & pituita inuicem mistis, quum sit opus eum defæcari omni ex parte, & perpurgari vt valeret ad alendum. Itaque mixtura bilis aut pituitæ vitiatur. neque enim aliud bilis est quàm pessimi sanguinis purgamentum, in qua magnum virus est quum se in animum fundit: sin autem per totum corpus vagatur, colorem quoque oculis aufert. pituita verò manet ex imperfecta concoctione, vt aquosa pars escarum mista sanguini. Iure ergo vtriusque hærent dissona emissaria, quibus fusis sanguis purus ac idoneus ad alendum exoritur. Qúmque bilis & pituita sint inutiles materiæ, neque valeant ad alendum, sed egerantur, traduntur naturalia excrementa corporis: si verò in vnum locum incumbunt, & assurgunt in tumorem, aut vlcerāt, crescit eorum pernicies, & inimicatur naturæ. Est vtique dilucidum, veram concoctionem existere assimilationem eorum quæ sumuntur. primùm autem vbi coquuntur, separatur quicquid est inutile, ac inhibet assimilationem, cuius pars amara, fera & acris transit in bilem: cruda verò & aquosa, in pituitam. vtraque verò, cùm fellea, tum pituitosa, eiiciuntur, tāquam excrementa naturalia, quæ manent ex parte escarum inimica nutritioni, quǽque repudiat omnem asimilationem. Præterea insimulandi sunt euidentisimi erroris qui seiungunt erysipelas à cancro. est enim cancer, Celso autore, in quo super inflammationem rubor vlcus ambit, proceditque cum dolore, ne

que

quæ solùm superuenit vlceribus, sed sine his quandoque oritur, ostendítque nonnunquam deterius periculum, vtique si circa ceruicem aut caput constitit. Similiter herpes numeratur in malis vlceribus. est enim pustula, aut quædam pustularum turba, quibus vlcera ingenerantur, & ferè obducitur crusta cremato corio similis: tollitur præsidiis quibus sanantur vlcera, neque continetur genere tumorum. Alia est ratio exanthematum & papularum, quæ quidem prorumpunt fermè sine vlcere, & nascuntur modò summæ cutis vitia, oriuntúrque ex labe humorum qui ex locis internis euocantur, & subeunt externas corporis partes. Iure ergo infantes tenerrimæ ætatis per febres acutas ocyssimè fatigantur exanthematis & eruptionibus papularum. Namque materia inutilis, causa febrium, ilico transcurrit mollissimum corpus ac longè tenerrimum. Proinde non sunt alicuius autoritatis qui tradunt menstruum sanguinem remanere edito fœtu, qui deinceps spatio interposito fertur per totum corpus, ac erumpit in pustulas de quibus differimus. siquidem natura haud seruat diutius noxas humorum, nec intus alit hominem inchoatum sanguine vitioso, nec eum firmat, nec tuetur cibo vllo noxio, qui aptior est ad iugulandum tenerrimæ ætatis hominem. Cæterò est in confesso cuique hoc nostro æuo medicinam frequenter peti ab oraculis, quibus adhibentur genitis mortalibus ignota morborum præsagia: quoniam vagantur fascinatores vbique, quibus mali genii exhibent venena sæuissima, cùm linimenta, tum pulueres, neque vincuntur vllo remediorum genere, nisi magica arte excogitentur.

DE MORBO VENEREO, CAP. XXXV.

MORBVS venereus non mihi videtur priſcos ex toto latuiſſe. ſiquidem prodidit Plinius, palpebras nudari abundantibus venere. Adhæc Hippocrates libro tertio morborum popularium perpurgat turbam noxarum corporis, quæ hoc noſtro æuo luem veneream teſtantur. Neque dubium eſt, priſcos laborauiſſe vrinæ anguſtia, quam concitauerat aut caro hebes, aut vlcus, aut noxa ex venere. Cæterùm hoc mali genus profert diſſona corporis vitia, mouet turbam febrium, magnos cruciatus, vlcera tetra, eruptiones papularum, pilorum defluuium: malè habet articulos, inuadit caput ſimul cum verendis, exercétque totum corpus. quûmque in vetuſtatem inciderit, vitiat protinus iecur, & viſcera interna, adfert malũ corporis habitum, nec facilè ſuccurritur. Cęterò nemo ambigit, pudenda dimouere odorem & ſaporẽ corporis vniuerſi, fundúntque geniturã inſtructam totius corporis viribus. Iure ergo eorum incommoda protinus malè habent totum corpus, oritur ingeſta bilis vrinæ anguſtia, nec ſalutis ſpes ylla ſupereſt, niſi lues venerea tollatur. Nihilominus plerumque decipit medicos. neque enim opinantur morbum venereum oriri verendis integris, quia perſæpe ex eorum noxis deprehenditur. tamen interdum diu manet, abſconduntur eius indubitata teſtimonia, verùm lõgo admodũ interpoſito tempore, vt annis duobus, tribus aut pluribus, emergunt, & fallunt medicos: quandoque nerui contrahuntur, reſoluuntur, articuli ligantur nodis, rigeſcunt, & hominem debilitant. Neque ſolùm huius mali cauſa eſt venus, quam nouimus cum huiuſmodi lue laborantibus: ſed etiam qui nunc ea liberantur, ſubinde coitu adhibito mouent morbum venereũ cæteris. Vidimus egeſta puerperia im-

ria impedita hoc graui malo, quũ parens haud ex toto sanus foret, matre tamen libera. Neque dubium est pueros lactantes statim hoc vitium largiri suis nutricibus: æquè quoque nutrices nonnunquam suis infantibus hoc malum concitant. Porro squalidus amictus ægrotantium huius generis, & rigatus sudore, maturè mouet luem veneream, malè habet ea quibus admouetur, vlcerat, cruciat: neque medicinæ iuuant, nisi fuerint huic vitio peculiares. Adhęc nõ sũt in pretio qui declarant, pituitosos humores esse autores huius morbi. in hoc enim visitur labes humorum omnium. Certum est, hydrargyrium mistũ vnguentis quibus liniũtur ægroti, educere sursum pituitam in magna copia: id enim illi propriũ est. sed lues venerea gignitur ex intolerabili humorũ corruptione, subeunt membratim, creant turbã noxarum corporis, cruciántque potissimum noctu.

FINIS.

PERBREVIS APOLOGIA IN GALENVM EIVSVE

sectatores, autore Claudio Campensio medico.

SEVERVS autor Galenus vniuersam fermè rationem medendi posuit in quatuor qualitatibus, calidis, frigidis, humidis & siccis: quibus inuicem quoq; mistis manet alia qualitas dissimilis omniũ, quæ vel obtinet integrã mediocritatẽ, vel degenerat in aliquã ex suprapositis quatuor. Hinc nascũtur tẽperamẽta ac intẽperies, causę morborũ omniũ, aut salutis. Quę quũ puerilia deliramẽta appareãt, ex his se propagarũt variæ medicamentorũ ambages. omnis enim mistio requirit naturale rerũ quasi cõmercium ceu cõcordiam, quam sympathiam Græci dicũt. Nihilominus hæret atrox dissidium omnium contrariorum, & naturalis discordia, neque miscentur inuicem, quia se iugulant inter se. Quum autem calida admiscentur frigidis, alterum ac inualidius necessariò vanescit, nec remanet: verùm quod superest linquitur mollius ac inualidius, eodem planè modo atque victores pugna finita languent, nec obtinent pristinum virium robur. Porro est dilucidum, qualitates intendi ac remitti naturaliter, nulla adhibita mistione qualitatum repugnantiũ. Neque enim tepores testãtur vllam misturam algoris: quandoquidem contrariæ qualitates moliuntur sibi mutuos interitus similes rebus omnibus quæ constant insigni discordia & naturali,

quam

quam antipathiam Græci vocant: velut aqua feruidissima & ignis nunquam miscentur: verùm iugiter se inuicem iugulant. Deinde mistio priuatim cadit in ea ex quibus res mistæ corporantur: qualitates autem nullam corpulentiam exhibent rebus mistis, nec statui possunt partes earum. Nemo negat misceri potissimum elementa inter se, quorum emergit inexplicabilis familiaritas, nec vlla antipathia inuicem luctantur nec rixantur inter se contrariis qualitatibus. Etenim densa recreantur sine modo liquoribus, & ocyssimè permiscentur inuicem. Cæterùm calor perhibetur causa multarũ rerũ familiarissima Aristoteli & Galeno: ideóque licet eius vires & maiestatem persequi. Nihilominus haud caret reprehensione Aristoteles. ratus enim est, nullum calorẽ soli nec astris nobilioribus attribui debere, vt eorum omnium æternitatem approbaret. Verùm tradit solem splendere & radiare deorsum, cuius radiis infractis & refulgentibus, calores & plerumque ardores exoriuntur violenti. Radius autem aliud nihil est preterquam fulgor luminarium, quę aciem habetant, fulgéntque acrius, neque radius sentitur tactu, verùm mouet oculos: sed calor tactum ferit. neque solùm astra radiare nata sunt, verumetiam idem faciunt cuncta lumina præstantiora. Sol vtique frequenter extorret accendítque res ad comburendum aptissimas: frigus autem cœlorum emergit sole alio digresso. Quocirca nõnulli perhibuerunt, frigus existere caloris viduitatem. rigent enim cœli simulatque sol lõgè flagrãtissimus in alias regiones transuolat: neque vlla qualitatum viduitas habet aliquã vim ad agendum idoneam. idque denuntiat locus offusus tenebris, quia non mouet aspectum. Similiter caloris priuatio haud ferit impolitius tactum, eum tamen persæpe atrox frigus discruciat. Quum autem primus rerum omnium parens creauisset vniuersum obnoxium dissonis mutationibus,

voluit nunc algores, mox ardores vbique peruagari. Neque solùm huc migrant ex corporum superiorum facultatibus, verumetiam aëri quem spiritu trahimus, & abditis terræ cuniculis princeps vniuersitatis autor accommodauit suos ardores & algores, qui interdum remittunt, aliàs crescunt naturaliter, portendúntque mutabile vniuersum, fortísque obnoxię. Iure ergo nonnunquam per hyemem rigidissimam sentiuntur tepescere penitissimi terræ sinus: æquè quoque per torridam æstatem algore premuntur. siquidem vis caloris & frigoris deorsum moratur naturaliter, se insinuat vbique, & sequitur insignem vniuersitatis mutationem. Fontes ergo per hyemem scaturiunt tepidi, & per æstatem refrigerãtur sine vllo siderum afflatu, nec iactu radiorum: siquidem obtinent qualitates alienas ab eo quod primo verbere sidera feriũt, atque interponitur. Huius ergo rei maiestatísque naturæ imperitus Aristoteles comminiscitur antiperistasim & cohibitionem ac ambitũ cõtrariorum quibus recrescunt cuncta inferiora, quæque conduntur deorsum. Porro haud dubio argumẽto coniectandum est, frigus hybernum per æstatem funditus extingui, nisi fuerit tributum rebus inferioribus maiestate naturali. id enim mouent astra horrida suo cursu multiuago, qui in momento variare apparet. Id etiamnum erat pernecessarium cunctis animãtibus, ne æstas fontes ex toto sorberet, ex haurirétque omnia genera liquorum, donec rigor hybernus cuncta congelãdo absumeret, sine quibus sitis inexpleta omnia conficit. Itaque absconditas vniuersi partes natura muniuit suo calore, suóque frigore: quibus infecta multigena moram prorogant, nec pereunt ardore ingestabili, nec premuntur hyberno rigore. Quocirca haud assentiẽdum physiologis qui memoriæ prodiderunt, corpora superiora primùm citare calorem deorsum, quem deinceps intendit ri-

gor hybernus. Vis enim calórque omnis quē ſuo afflatu ſidera deorſum exhibent, vaneſcit ſimulatque ad auſtrum & meridiem redeunt, eiúſque reliquias omnes tollit & iugulat rigor hyemis: neque poteſt recreſcere calor infernus ſine cauſa quam primò eſt eſt ſequutus. Eſt etiā perſpicuum, algores hybernos vehementius ſæuire, nec linquunt diutius morari calorem quem hìc deorſum corpora ſuperiora creant, niſi fuerit inſitus locis infernis, vbi animalia vitā agunt. Iam æquū eſt illuſtrare frigus calorémque medicamētorū eorúmq; omniū quę ſumūtur. Porro certū eſt, Galenū incidere in grauiſſimos errores, quoniā ratus eſt, medicamētis ineſſe modò poteſtatē caloris & frigoris, quę quū tractātur manibus, ferè ſemper algēt. Sole clarius eſt, ſenſus pati ac ferre impetus omniū qualitatū, quæ profectò inſunt rebus ſubiectis actu & re vera. Neq: opinandū eſt medicamēta habere modò vim caloris & frigoris. ſiquidem actu ſunt calida aut frigida: quoniam qualitas mouet ſenſus eóſque ferit: verùm ſenſus patiuntur ac ſuſtinent omniū qualitatum inſultus. Nihilominus plerūque acerrimus ſenſus manuum pedúmque haud percipit calorem piperis, zingiberis, aliorúmve generis eiuſdem. ſiquidem eorum partes extremę labant, nec manent integræ propter illa quę ambiunt: velut perſæpe algores totum corpus humanum opprimunt, cui tamen calor eſt naturalis, ſed finitis noxis eius quod ambit, redit calor, nec frigus eſt euidēs. A Equè quoque vis naturalis piperis aut zingiberis langueſcit ex incōmodis eorum quæ cōtinent: quibus quieſcentibus iam eorum natura patet. Haud diſpar eſt ratio vini, ceruiſiæ, aceti, olei, & omnium liquamentorum. Nam frequenter algere viſuntur ex impetu eorū quę ambiunt, quo deſinente ſentitur cuiuſque natura: donec vis naturę rerum & maieſtas in omnibus momētis fide careat. Cæterò vis externarum partium pipe-

ris,zingiberis ac similium est iampridē labefactata ex incommodis eius quod ambit,nec longè dissimilis corio quo pleraq; teguntur.deinde externa cuticula manuū pedúmque sine sensu hebetat vim sentiendi,eáque detracta haud manet sedes sensus integra. Itaque vix deprehendimus qualitates actus inesse suis rebus subiectis.Iure ergo magna est dissensio inter physiologos de aceto,ex quibus nonnulli rati sūt acetum modò perfrui calore quem exhibet vinum putrefactum:ideóque tradunt omnem putredinem esse causam caloris. Est perspicuū glaciem putrescere vbi liquatur,desinítque eius rigida spissitudo: æquè quoque nonnulli lapides,& pleraque ligna vetustate putrescunt,simulatque desistit eorum firma compages,nec remanet plenus habitus,tamen ob id ipsum haud emergunt calidiora.Porro acetum eodē planè modo vinum est,atq; hominē mortuū appellamus qui neque homo est, neque acetum vinum. Quúmque vinum in acetum degenerat,haud desinit funditus natura vini in aceto.retinet enim quendam vini calorē & acrimoniā,neque id putre,sed alienatū corruptúmve nominamus: queadmodū hominem mortuum haud tradimus computruisse, nisi ex toto deleatur eius fabrica,sitque alienata radicitus,quamuis moueatur ex suo integro statu,sitque euidens hominis corruptela.Similiter corrupto vino, ceruisia, mulsa,hæret acetū ex insigni alienatione siue putredine euidentiori.etenim abalienātur calore circumdati spiritus eius noxis, misturáve rerum quæ vinū, ceruisiam & mulsam dissoluunt. Quorū sanè omniū alienationes summopere variant. nam interdum per æstatem vinum vapescit ac dissoluitur subsequente quadam abalienatione:aliàs acescit, alienatū & corruptum quum est. Cæterùm suprapositæ corruptiones vini,mulsæ,ceruisiæ hebetant eorum omnes vires naturales,neque tollūt funditus. Itaque haud dubium

bium eſt,acetum obtinere calorem acrimoniámque vini,mulſæ,ceruiſiæ,ex quibus emergit,ſed hebetior eſt in aceto. Qúmque liquores vniuerſos frigefaciant incommoda eorum quæ ambiunt,certum eſt, vinum,acetum,mulſam,& ſimilia liquamenta opprimi alienis frigoribus:acetum autem præditum inualido vini calore apparet frigidius ex eo quod ambit, quàm eius naturalis calor fermè poſsit percipi.Sole clarius eſt,vinum generoſum & potentiſsimum ſimiliter trãſire in acetum efficaciſsimum : quoniam aliqua vis naturáque vini remanet in aceto,neque ex toto deletur:eodem planè modo lactuca,portulaca, cichorium exiſtunt actu frigida,neque ſolùm muniuntur viribus ad frigefaciendum accõmodatis. Etenim qualitas ſenſum impellit,agit,ferítque, vt ſenſu percipiatur.Cæterò haud celebrantur qui perhibuerũt, cicutam,mandragoram & opium ſuo graui algore citare veternum,quum his epotis frigus hominẽ opprimat.Huius ſanè cauſæ æſtimandæ ſunt ex cerebri & neruorum incommodis quæ medicamenta ſoporifera creant.nam ſenſus hebetant,motus tardant, & neruoſis locis inimicantur. Deinde ſua viruletã pernicie ſopore grauant,& plerũque mentẽ turbãt.Pari iure vinum ſopore premit, & ſubinde mentem abalienat,datũ liberalius.Etenim putreſcit in malos humores qui ſtomachum in vomitiones effundũt, malè habent caput,& ſenſus obtundunt , neque ſuo calore aut frigore noxium eſt. Frigida etiamnum aqua plerumque datur liberaliter, neque mẽtem hebetat, neque vitioſo frigore nos premit.Deinde repudiantur qui tradũt amarum ſaporem fieri ex vſtis terreis partibus rerum miſtarum.etenim vſtio diſsipat, ſorbétque vniuerſos liquores,neque amaros vt indomitos relinquit.Ambuſta quoque haud ſunt integra,ſed igneo ardore conſtant:nihilominus multa amariſsima emergũt prędita leui calore, vt aloë,vt abſynthiũ

nõ obtinent violentum calorem propriũ rebus ignitis:sunt enim caloris mollissimi. Proinde verisimile est, naturæ vim & maiestatem sigillatim attribuisse vnicuique rerum generi suum proprium saporem,cuius causa absconditur,nec satis liquidò constat.Certum est,ætatem variare sapores fructuum . siquidem maturis fructibus alius sapor inest,alius iunioribus qui primùm erũpũt.Ideóque sapor subinde declarat crudos maturósque fructus.Iure autem acerbus austerúsque testatur fructum immaturum,necnon permanere eius crudam essentiam imperfectámque. Haud dispar est ratio salsuginis.fit enim liquato sale & permisto salsis rebus omnibus.Proinde cineres & pleraque alimenta reddunt lixiuiam salsam, vrinam, aquosam pituitam atque sudores . habent enim salem, qui mistus liquoribus traditis exhibet saporem salsum.Densa enim est salsa materia omnis, & protinus liquescit suapte vi, ac funditur in succis & aquosis liquamentis:quippe quum sit magnum quasi commercium & familiaritas vtriusque elementi,dēsi & liquidi, ne irrita plerumque manerent,nec præstarent viribus aptissimis ad omnia corporāda. Proinde physiologi incurrunt in magnas reprehensiones,quoniam perhibuerunt salsam pituitam fieri misto felle,aut accedente putredine eiusdem : sal enim rerum fermè omnium putredinem inhibet. Deinde omnis fellea amaritudo cuncta sufficit amara, sibíque similia.Itaque probabilius est, pituitā aquosam ferri per corpus salsam, aut prorumpere ex salsis humoribus:siquidem omnis salsilago tribuitur naturaliter singulis rerum generibus, neque arte constat, neque emergit hominum manu , nisi eius causa sit sal permistus,vel salsum quidpiam. Verùm quandoque hebetior est sapor salsus,nec ferè sentitur, nisi exhauriantur quoquo modo ac detrahantur quæ eius sensum obtundunt,ac velut abalienant. Restat perpurgare

perpurgare facultates diuersorum medicamentorum, ex quibus tergentia dicuntur quæ tollunt ac euellunt sordes, squaloremque obsitũ rebus quæ terguntur. Porro est dilucidum, squalorem inhærere subiectis corporibus per intermediam viscidam materiam, quæ instar glutinis affigit, & moratur sordes vbi incumbunt. Ideóque non est facile tergere squalorem, nisi educatur subtrahatúrque illud glutinosum: sed protinus demitur eluendo, quia fit liquidius, neque vim glutinis obtinet: æquè quoque vbi exhauritur vaporatúrque vltra modum, neque naturam humoris habet, desistit adglutinare omnino. Quare cuncta aquosa & liquida valent tersione rerum squalidarum: quæ pariter suis sordibus ex toto liberantur vbi exarescit & vaporatur tradita glutinosa materia: neque tergendi facultas debet æstimari ex saporibus, quia peculiariter mouent sensum gustandi: astrictio autem priuatim cadit in ea quæ comprimunt & fermè præcludunt vastissimos corporis canales, cuius generis perhibentur austera & acerba. Cæterùm crassa physiologi nominauerũt ea quæ secantur difficiliter, ídque propriè durum dicimus. Ideo non videtur expers reprehẽsionis Galenus, quia ferè hunc modò crassi significatum persequitur. Nihilominus crassa quoque appellamus quorũ magnitudo præstantior est, etiãsi nonnunquã facilè diuidãtur, similiter crassos liquores nõ æstimamus ex difficili sectione, quia omnes liquores nullo negotio diuidũtur, quos vtique crassos tradimus, vbi haud clarescunt, sed continent spissamen. Cæterò medicamentorum crassamen elicimus ex viribus inualidis, quǽque lõga mora suos præstãt effectus. AEquè quoque perhibẽtur medicamẽta tenuissima, quoniã maturè irruunt in totum corpus, exequũtur suum officium, & ocyssimè hominẽ abducũt ab eo statu in quo est. Porro his literis illustrabimus medicamẽta quæ du-

cũt aluum,pellunt vrinam,mouéntque ſudores. Inprimis non ſunt in pretio qui opinantur corpora ſuperiora iactu quodam radiorum quaſi flagellare omnia cathartica,nec aliàs habere vim ductionis alui:ſiquidẽ magnę ſunt in cœlo mutationes & perennes ſiderum curſus,quíque iugiter variant. Omnium autem medicamentorum purgantium manet vis eadem,neque mutatur.nam obtinent naturalem proprietatem quæ liquat aluum,& hominem ex ſuo ſtatu dimouet. Quúmque catharticis natura haud poſſit vti pro cibo,quia omnem aſsimilationẽ reſpuunt, euocantur ad emiſſaria corporis, detrahuntúrque vt noxia,tamen ſecum rapiunt quicquid poſſunt educere, velut latrunculi. Iam licet illudere phyſiologis qui tradunt ex catharticis alia exigere priuatim humores felleos,quædam ſubtrahere pituitam,nec deprehendunt ſingulis eſſe proprium detrahere aluo quicquid nocet & deſcendit protinus,nec eorum viribus reluctari poteſt. Nihilominus perſpicuum eſt, nonnũquam dari medicamenta quæ protinus in bilioſos humores degenerant,vt rhaponticum, vt ſeua:æquè quoque interdum in pituitam putreſcunt eodem planè modo atque cibus plerumque corrũpitur in felleam & malam materiam. Id quandoque euenit fungis.nam tranſeunt in concretam quãdam pituitam quæ mouet aluum,& ſtomachum in vomitiones euertit. Neque celebratur Galenus, quũ perhibuit,cathartica ſimilia humoribus quos extrahũt, quoniam fortè vitiantur aliquando in corruptiones intus conditas. AEquè quoque cibus plerumque datur naturæ familiariſsimus,qui tamen intus facilè putreſcit in malos humores qui nos malè habent. Cæterò ex catharticis quædam oriuntur validiſsima, vt colocynthis,vt veratrum,vt fuſum paratúmque antimonium vt æquum eſt,vt puluis Mercurii in calcẽ verſus ac elotus aqua vini potẽtiſsima.hęc enim vltra modum

modum nos infirmant, súntque offerenda timidius. Alia cathartica existunt inualidiora, vt seua, vt agaricum, vt rhaponticum: nihilominus obtinent vires nobis inimicas quibus venter lãguidius deturbatur, nec vires grauius labant. Præter hæc nonnulla medicamenta ventrem modò emolliunt, vt saccarũ, mel, casia, quæque prædulcia pinguiáve nascuntur, siquidem laxant intestinorum canales, & cuncta molliũt. Cęterùm clarissimus medicus Hippocrates visus est libello morborum acutorum separauisse cathartica in duo genera: siquidem ex his alia detrahunt modò deorsum cum flatu, sono & crepitu noxas humorum & materiam quæ fluit per intestina laxiora, sed non exigunt tædia præcordiorum, neque liberant interna viscera sua labe: imò verò plerũque reddunt ventrem liquidum, adferunt eius tormina, & exasperant incommoda corporis quibus creduntur vulgò succurrere. Alia verò cathartica tum vomitu tum alui ductione exhauriũt incommoda humorũ omnium, plenius liberant præcordia & sedem viscerum, maturántque finem morborum. Meritò ergo Hippocrates celebrat nigrum veratrũ, quia & sursum & deorsum tolerabiliter extrahit omnes humores noxios, nec ferè intus quidpiam noxium dimittit. Haud dispar est ratio albi veratri, cuius medietas drachmę est efficacissima mersa in vino simul cum cinamomo, aut aliis aromatis suauissimis: cui soleo ego miscere catharticum familiare officinis, vt electuarium citri, rosati aut alterius generis. In hunc enim modum tolluntur periodicæ febres tertianæ, quartanæ, & quotidianæ, leuantur febres assiduæ: neque opus est petere externi orbis medicinas, non requirimus merces Indicas, non Arabicas. vnaquęque enim regio educit alítque cathartica familiarissima suis indigenis. Nihilominus quandoque sorbẽtur cathartica efficacissima & validissima, quæ haud possunt subducere vẽ-

trem,quia vires sunt languidiores,nec vtuntur huiusmodi catharticis:aluum namque mouerent,velut cuique eorum proprium est.Quæ verò pellunt vrinam, sunt ferè boni odoris aut saporis gratissimi,donec ocyssimè possint rigare absconditos corporis riuos, neque morantur in emissariis excrementorum alui. nam vt protinus feriunt,subeúntque penitius sedem externorum sensuũ,ita ocyssimè se insinuant in abditas corporis cauitates: tamen plerumque fertur vrina liberaliter,vbi astringitur aluus. Idcirco celebrat Hippocrates effusionem vrinæ quæ comitatur ventris profluuia:imò verò vbi sumuntur compriméntia ventrem,properant vrinę cursus,siquidem humores ex aluo euocantur ad riuos vrinæ: similiter fluores ventris iuuant vitiosum vrinæ profluuium.Plura etiã rerum genera vrinam pellunt, iuxta ac superius declarauimus ventrem subduci.instruuntur namque peculiari natura quæ exigit vrinam.Iure ergo cãtharides reddunt cruentam vrinam, mouéntque persæpe eius angustias,atque vlcerant vrinæ canales. etenim constant peculiari veneno,huius mali autore. Cæterò ex vreticis nonnulla se insinuant membratim longè penitius,neque ducunt aluum, neque vrinam profundunt,sed rigant totum corpus,subeunt tenuissima venarum cacumina, dispersa subter totam cutem in pretenues fibras & in angustam subtilitatem, donec erumpat epota aqua: expellitúrque sudor, & moratur venarum sanguis, & retinetur angustissimis venarum capitibus,quæ verisimile est interdum sudãtibus turgere aquarũ abundantia,& ex eo sudor toto corpore fertur. Vbi verò non penetrant altius tradita medicamenta,neque rigant tenuissimos sanguinis riuos,neque ex his assurgunt in tumorem aquosum, ferè nata sunt aluum aut vrinam mouere, neque sudorem emittunt, neque toto corpore aquam effundunt.Atqui sputum maturè promoueri

cùm medicamentis odoratis,tũ ſapore cuius ſit in cibis gratia,facile eſt elicere ex Dioſcoride & priſcis autoribus.Itaque meritò hyſſopum,ſampſuchũ produntur auxiliari anheloſis:æquè ficus,ſaccarum iuuãt pulmones.nam vt maturè rigant linguam, ſimúlque palatũ,eodẽ planè modo pulmones & penitiſſimos riuos corporis ſubeunt.

TRES LIBRI NATVRALIVM ANIMADVERsionum in Aristotelem, autore Claudio Campensio medico.

Liber primus De natura, motu, actione, passione, tempore & loco.

DE PRIMA NATVRA CORporum, CAP. I.

MAGNA est dissensio inter philosophos de natura corporum, ex quibus nonnulli vnam ac simplicem modò induxerunt: aliqui tradiderũt quatuor elementa: plerique vim nominis non comprehendunt. Nos verò arbitramur naturæ verbum comprehendere causas, proprietatésq; & affectus omnes qui sponte & nulla arte constant. Iure ergo assueta longo tempore obtinuerunt naturæ nomen, quum similia sint rebus quæ sponte ferunt, nec possint facilè tolli: nihilominus existit rebus suprapositis propriũ. Quum autem cuncta rerum genera corporentur ex materia & forma, oritur prima natura duplex. Adhæc statuuntur infinitæ qualitates, affectiones & facultates, quibus naturæ verbum proprium est, neque enim arte nec ingeniis constãt: quibus vtique omnibus materia & forma anteponuntur, & emergunt principes naturæ corporum: quemadmodum ea quæ manu & arte cõstant, humana quadam lege ac velut instituto componũtur ex propria materia & forma. Neq; videtur expers

pers reprehensionis Aristoteles, quoniam memoriȩ prodidit, naturā esse principium motus & quietis eius in quo primò ac per se inest. Hoc enim verbum peculiariter notat ea quæ diximus, quorum nullæ sunt leges, nec hominum ingeniis constant. Idcirco flere ac ridere homines naturaliter ferè solùm nouerūt: itémque sentire est naturale cunctis animantibus. sata quoque omnia naturam habent, qua florēt edúntque suos fructus. Sed materia & forma sunt primȩ naturæ corporum, & ex quibus singula corporantur. Neque ex motu & quiete æstimari debet princeps natura rerum: siquidem pari iure materia & forma æstimantur causæ omnium qualitatum & affectionum quȩ nulla arte constant. Quum autem Aristoteles deprehenderet nullam apparere æternitatem rerum quȩ cœlis subsit, & cūcta inferiora esse obnoxia dissonis mutationibus, ex eo metitur primam naturā corporum, & in grauissimas reprehensiones incurrit. Cæterùm primus rerum omnium parens voluit cuncta corporari ex duabus naturis, forma & materia. nihilominus instituit materiam sine formis, sed longè paratissimam ad suscipiendos omnia formarum ornamenta, donec maneat euidens sympathia ceu naturalis societas vtriusque. Porro sufficiunt duæ naturæ corporibus omnibus, neque vna potuit cuique satis esse. Neque enim superesset vlla rerum inter se distinctio, neque vlla differentia. Iure ergo initio primus autor omnium rerum præbuit cunctis corporibus aliquod rudimentum sine formis, quibus quum decoratur, emergit corpus naturale. Idcirco subest rebus omnibus vnum ac simile materiæ genus, sed est immensus ac infinitus numerus formarū: oritúrque omnium rerum differentia ex formis, quæ procul inuicem discrepant. Neque enim animalium, fossitiorum & ex terra nascentium eadem forma esse potest: quoniam eorum omnium apparet insignis

ac euidens diſtinctio. Eſt autem longè difficilimum intueri primam materiam ſubiectam rebus omnibus, earúmque formas, quum ſint primæ cauſæ & prima omnium initia quæ abſconduntur maieſtate naturæ, nec euidens eorum perceptio eſt. Sole clarius eſt, formam & materiam exiſtere præcipuam & primam naturam ſingulorum corporum: ſed quid ſit eorum vnumquodque nemo tenet. nam ſi diſſoluitur corpus miſtum ex elementis, manent ſolùm elemēta ex quibus eſt præditum. Hæc autem inſtruuntur ſua natura vtraque, cùm prima materia, tum forma. Quúmque elementa ſuis formis inuicem diſſentiunt, non habentur principes naturæ rerum, neque prima corporum initia. deinde iugiter hærent integra, quæque non degenerant in corpora ſimpliciora. Adhæc elementa numerantur in rebus corporeis, quas nemo negat ex duplici natura conſtare. Cæterùm prima materies ſingulorum corporum vidua formis omnibus nullo ſenſu ferè percipitur, hæret velut nuda rerum moles, quam licet modò mente & cogitatione depingere. Idcirco philoſophi mente & ratione ſpoliant corpus phyſicum ſuis formis & qualitatibus omnibus, quò aperirent maſſulam aliquam informem, quam aiunt primam materiam de qua diſſerimus. Idque mente ac intelligentia modò cernitur, fugit omnem ſenſuum aciem, neque eſt ſatis euidens. Quocirca plenius perſpicitur ex ſimili rerum genere. namque arte & manu humana conſtant, quodammodo aſſimilantur rebus naturalibus, & lege quadam decorantur ſua forma & materia. Ars quoque oritur æmula naturæ, & per leges cuncta efficit, vt natura ſua ſponte pro lege vtitur. Res etiam naturalis, ſiue naturæ opus accedit rebus quæ arte conſtant. nã vtriuſq; ſua oritur forma, ſuáque materia, ſiquidē eodē planè modo calx, ſaxa, cæmēta, ligna, ſufficiunt materiã domibus quæ ſtruũtur: deinde ex eorũ certa

& ar-

& artificiosa compage variant figuræ domorũ,lege quadam sculpuntur,& coaptantur arbitrio artificis, & multifariam figurantur. A Equè simulac prima materia ornatur aliquo formarum genere,superest corpus physicum præditum vtraque prima natura : sed primæ materiæ nullus fermè sensus apparet,quę quidem solùm animo informatur vt nuda moles, & sine cunctis ornamentis naturalibus. Verùm facile est intelligere materiam eorum quæ arte constant. nam & sensibus percipitur,& est suæ formę compos. Cæterùm noluit primus rerum parens,materiam de qua sit quæstio,hærere sine formis, & orbari omniũ rerum proprietatibus,ne maneret superuacua & infrugifera,nec videretur quidpiam inchoatum ac imperfectum reliquisse:siquidem haberetur irritum naturæ opus ac inutile. Ideóque nũquam occurrit prima materia expers omnium formarum :quæ quum specie quadã similitudinis dũtaxat perspiciatur,liceátq; modò mẽte & cogitatione talẽ depingere,ei⁹ notitia incerta ferè est &abdita maiestate naturæ,nec vlla definitione explicari potest. Reliquũ est formas illustremus, quia statuũt aliã naturã corporũ,quæ quidẽ difficilius cõprehẽdũtur quàm materia suprapofita. sũt enim causę cur vnũquodq; est id quod est,instruitur suis proprietatib⁹,decorátúrque statu vndique perfecto. Nihilominus plerique opinãtur,calore solis cũcta reuiuiscere ac florere:terra educit varios fœt⁹,qui quũ desinit,senescũt propemodũ omnia genera rerũ &marcore cõsumũtur. Porro est dilucidũ,varias motiones siderũ transferre singula genera rerũ,quoniam intẽdũt ac infrẽnãt proprias cuiusq; vires quas edũt formæ. Idque palã testatur æstas torrida. siccat enim & iugulat ferè quicquid est obuium. Mitissimus etiã calor veris firmat & recreat quæcunque ex incõmodis acerbissimi frigoris vltra modum languent. Est vtique perspicuũ,diuersas fruges,herbas, & hortẽsia varia viuiscere ac senescere mutatò tẽporũ cursu:quo

niam decorantur magna varietate formarum, ac multis proprietatibus quæ sunt admodum dispares. Sic enim cuncta fabrefacta sunt vt suo quodam æuo florerent & emorerentur, nisi extiterit aliqua rerum ęternitas, sed quæ nos lateat. Idcirco forma rerum naturalium est causa quamobrem vnumquodque est id quod est, fruitur diuersis facultatibus, & decoratur habitu perfecto omnibus suis numeris. Adhæc videtur res naturalis nomen traxisse ex natura duplici, cuius est particeps: siquidem constat materia & forma, de quibus agimus. Cunctis ergo rebus naturalibus corporatis ex materia & forma fuerunt seorsum accommodatæ qualitates innumerabiles quæ sensum faciunt, & infinita munera ac immēsæ facultates, quę varios effectus promunt. Quúmque philosophi non tenerēt formas rerum traditis facultatibus præditas, eas ęstimauere ex sensibus, & frequenter errore labuntur. Vbi verò natura inuoluisset formas donatas rebus omnibus, attulit insignem rerum omnium inscitiam. siquidem formis insunt propemodum singulæ rerum vires, nec facile est intelligere cur homines rideant, nec loquantur bestiæ. Qui verò memoriæ prodidit, formam esse causam quamobrem vnumquodque est id quod est, aperit vim nominis, neque illustrat quid illud sit de quo sit quæstio, quum id nō capiat coniectura mentis humanæ, maneátque inuolutum imperio summi opificis.

DE MOTV, ACTIONE ET passione, CAP. II.

ARISTOTELES clarissimus philosophus memoriæ prodidit libro tertio de physico auditu, motū esse ἐνηλέχιαν eorum quæ motu constant. hoc etiamnum verbo exprimit quoque actiones & formas rerum omnium. Neque id caret grauissima reprehensione: siquidem verbū anceps valet modò ad obscurandum

randum & contegendum ea de quibus agitur. Idcirco est longè præstantius metiri motum ex facultatibus rerum naturalium, vt eorum quæ ad mouendum valent. Porro declarauimus superiori capite, corpora naturalia decorari diſſonis ac multis viribus quæ suum opus edunt. Iure ergo motus est opus ac effectus eius facultatis quę mouet: nihilominus ex rebus quæ mouentur, nonnullæ suapte vi pelluntur motu, aliæ feruntur pulſu alieno vel aduentitio. quarum omnium motiones oriuntur opera & effectu virium quæ ad mouendum sunt paratæ. Porro ex facultatibus quædam sunt à natura donatæ rebus quæ motu præstant: nonnullæ aliunde naſcuntur. Ideóque philoſophi distinxerũt duo motionũ genera. Cæterùm facultates rerum naturaliũ difficiliter intelliguntur. ſuis enim formis hærent, vel ex earũ natura educuntur: verùm manet abdita natura formarũ quibus res naturales constant. Produntur autẽ motiones multi genæ: vt quum naſcitur quidpiã, vel emoritur, emergunt ortus ac interitus. Adhæc ſi creſcit, vel minuitur, apparent augmenta vel decrementa: deinde quia inuicem mutãtur qualitates, mutationes exoriũtur: postremò ſi moueantur loco. Nihilominus vniuerſę motiones hærẽt effecta virium quæ ad mouendũ parantur. Philoſophi etiamnum multa deſiderãt cunctis motionibus neceſſaria. Primùm opus est quidpiã mouere, quales ſunt vires eorum quę mouent, quarũ opera motionis nomen obtinent. Adhęc neceſſariũ est id quod pellitur motu: æquè quoque deſideratur locus, ſine cuius amplexu nullus motus eſſe potest. Denique tempus requiritur, ex quo ſequuntur rerũ omnium quædam viciſsitudines. Postremò ſingulæ motiones terminantur duobus capitibus, quum ab vno cœptæ alio quieſcant: videntúrque motus extremitates inuicem reluctari ſimiles affirmationibus & negationibus. namque motio omnis tollit quæ

præsto sunt,& decoratur eo quod abest. Idcóq; excó gitatæ sunt nõnullæ viduitates formarũ,aut priuatio nes simul cum forma eius quoḍ generatur, vt clarior foret rerũ ort⁹:cuius vtroq; capite cognito facile est ortus rerum intueri.Neq; celebrantur qui tradunt priuationẽ esse rerum naturalium principium,quum sit quasi cõmentum priscorum,vt innotesceret facilius ortus rerũ naturalium , quũ eius vtrũq ; caput sit dilucidum,neq facilius perspiciatur.Nunc incidunt actiones & pasśiones motionibus familiarisśimæ.siquidẽ actio emergit opus eius facultatis quæ in agẽdo cernitur:itémque pasśio elicitur ex facultatibus rerum quæ pati ac ferre solẽt.Quorũ sanè omniũ magnum est quasi cõmercium & societas,nec ferè subiecto inuicẽ discrepãt,sed modò facultatibus, quarũ rationes existũt dispares admodũ.Siquis autẽ penitius cernit potestates rerum naturaliũ,deprehendet eas persæpe abditas sũmo opificis imperio.nã ex formis eliciũtur,& ex partibus fermè nobis abscõditis.

DE LOCO, INFINITO, AC tempore, CAP. III.

CONVENIT omnibus, locũ infinitas ambages adferre philosophis,quid propriè ille sit.ex his vtique nõnulli simul cum Aristotele tradunt locũ esse internã extremitatẽ eorum quæ ambiunt.nihilominus extremitas est in re quæ cõtinet: quãuis locus sit eorum quæ locũ occupant.Iure ergo locus statuitur interuallum quo cõtinentur corpora, & quicquid locum tenet.Nemo negat,locum vndique plenũ æstimari ex interualli plenitudine,cuius causæ sunt corpora quæ cõtinẽtur.Neque ex internis extremitatibus licet metiri nec ponderare vastisśimos omnium locorum cõplexus:verùm æstimantur ex longè latéque fuso spatio,cuius ornamenta sunt propria locis. Adhæc locus cõstat triplici magnitudine,neque aliter

ter ambiret triplici magnitudine prędita corpora:atqui extremitas eſt prędita ſola lõgitudine & latitudine. Cæterò ſi locus naſcitur interna extremitas eorũ quæ ambiũt,nullus locus vniuerſi futurus eſt. neque enim cõtinetur vllis corporis extremitatibus,nec eius cacumina amplectuntur ſuperiores extremitates, ſed integra vniuerſitas ſuo interuallo cõtinetur,in eo manet iugiter,ac ibi diuinitus orſa eſt: ſin autẽ locus gignitur interna extremitas eorum quæ ambiunt,ſequitur aliqua rerum infinitas,quã nihilominus ex toto repudiat Ariſtoteles. namque ſigillatim corpora ſuis locis inſunt,& continentur extremitatibus eorũ quæ ambiunt. Iam ſupereſt perſequamur locorum inanitatem,nunquid induci debeat. Sole clarius eſt, locum tribui rebus omnibus, vt contineret: idcirco futura eſt inutilis omnium locorum inanitas. Eo vtique errore impediuntur qui perhibent aërem nihil eſſe, quoniam fermè non cadit ſub aciem cenſuum,cuius tamen ardores deorſum perſæpe nos fatigant grauiter admodum,neque ſunt algores geſtabiles. Quapropter incurrunt in grauiſsimas reprehenſiones qui comminiſcuntur inanem quendam locum ſuperiorẽ cœlis,quum nulla magnitudo nec vllum corpus cœlos poſſit ſuperare. Itaque repudiãda eſt omnium locorum inanitas. Non eſt diſpar ratio rerum infinitarum. Neque enim Aſclepiadi, neque Chryſippo, clariſſimis medicis,aſſentiri licet: quoniam perhibuerunt atomos per aërem tranſcurrere & volitare aſſiduo motu ſimiles variis ac minutiſsimis corpuſculis, cuius generis paria viſuntur in radiante ſole per feneſtrata ædificia. Cunctis enim rebus natura certum motum adhibet, neque vlla ſerie poſſunt digeri neque diſpenſari quæ ſunt infinita. Poſtremò quæ nullo fine terminãtur,hærent ſuperuacua ac inutilia. His autem literis opus eſt temporis naturam aperire: quæ quum vix a-

nimo & ratione perſpiciatur, viſus eſt Ariſtoteles paulo ſubtilius elicere tempus ex numero motionis primi cœli: cui ſanè vulgus reclamat, nec quiſquam metitur tempus ex primi cœli motione. Certum eſt, tempus id eſſe ex quo ęſtimantur curſus rerum & viciſſitudines omnes. Idque manet proprium mutationibus quibus cuncta facilè patent. Ideóque tempus, ſiue id quod numerat aut potius metitur ea quæ ſunt, à motu ſola mente & ratione poteſt ſeparari. Quúmque in ancipiti verſentur rerum infinitarum motus, viſum eſt quibuſque mortalibus genitis elicere tempus ex menſura motionis eius quod perenne eſt, certum, firmum, & cuique manifeſtiſſimum. Porro nihil clarius eſt motu ſolis, radiat iugiter deorſum vbi ſumus, lucétque in conſpectu cuiuſque. Iure ergo primùm ex motu ſolis eliciuntur horæ, dies, anni, & ſingulæ partes temporum. nihilominus nõnulli ex luna & ſole nocturno mẽſes voluerũt numerare, quia eſt ſtella euidentiſſima noctu, ſed eſt eius lux ſole incertior, neque poteſt docere mẽbratim tẽpus, niſi plena ſit. Neque exiſtimauerim celebrari philoſophos qui opinãtur motũ ſolis primo cœlo peculiarẽ. quoniã ex ſolis & ſiderũ curſu cõiicimus cœlum motu cõſtare, nec aliàs eius motiones ſub ſenſũ cadũt, nec ſubeſt motionis cœli certa vlla doctrina. ſiquidem potuit eſſe in deliciis ſummo rerum omniũ autori tenuiſſimus aer, aut ſimile corpus, in quo ſurſum hærẽt ſidera omnia, ſuo irrequieto motu percurrunt totã vniuerſitatẽ, peruagãtur variis in locis, nec morãtur vnquã, neq; aſſimilãtur nodoſis lignorũ partib⁹, quemadmodũ Ariſtoteles credidit. Profectò hebes eſt acies oculorũ, neq; ad cœlos penetrat: quũq; valde ſudũ eſt, licet modò ſurſum intueri aëra colluſtratũ clariſſimo lumine, perſpicuũ eſt ſcientiã ſideralẽ certò aſſerere cœlos eorúmque motus multiformes, quos nullis argumentis licet demonſtrare.

NATV-

NATVRALIVM ANIMADVERSIONVM IN ARISTOTELEM LIBER SECVNDVS,

De elementis, meteorologicis & fossitiis.

DE ELEMENTIS, Cap. I.

OMNES physiologi qui adhuc disseruerunt de natura rerum, comminiscuntur quatuor elementa mistorum corporum, Aristotelica autoritate conuicti. Porro manifestum est, Aristotelē imprudenter admodum efficere quatuor elemēta ex qualitatibus calidis, frigidis, humidis, siccis, tanquam ex primis omnium: quæ nihilominus non anteferuntur virtutibus, non insitis rerum omnium proprietatibus, nec infinitis qualitatibus alterius generis. Certum est, eo errore labi Aristotelem, quoniam deprehēdit suprapositas quatuor qualitates mouere sēsus toto corpore fusos: ideóq; ratus est eas cæteris omnibus anteponi. Quúmq, æquū sit primas qualitates inesse quibusdā primis corporib⁹, nec vlla qualitas hęreat vidua subiecto corpore aut simili natura, cui insidere possit: necessariū est quatuor elementa subesse primis qualitatibus. Ceterùm nequaquā sunt in pretio qui ex statis qualitatibus eliciunt elementorū differentiam, eorúmque varietatem modò numerāt ex qualitate immutabili. siquidem requirūtur omnium

corporum elementa obnoxiæ ſortis,idonea diſſonis rerum mutationibus,quǽque nullas repudiarēt qualitates innatas miſtis rebus, quas neceſſe eſt vbique prorumpere.hunc autē locum deinceps cumulatius percunctabimur.Cęterùm eſt omnibus in confeſſo, res naturales duplici genere conſtare:ex quibus aliæ ſunt ſimplices prędita ſola materia & forma,ex quibus æſtimabimus præcipuam naturam ſingulorum corporum,cuius generis produ̅tur elementa & vniuerſa corpora ſublimia,quę ex alienis non confla̅tur. Aliæ res naturales oriuntur miſtæ ac inſtructæ alio genere corporum,qualia naſcuntur animalia, metalla,& quicquid terra ex ſe fundit. his enim diſſolutis ac emortuis manent ſolùm elementa & ea corpora quibus conſtant. Diſſolutio autem rerum miſtarum non oſtendit quatuor elementa Ariſtotelica. ſiquidē primus rerum omnium parens ex denſa & liquida natura creauit cuncta genera rerum miſtarum. Porro Ariſtoteles ratus ex quatuor qualitatibus eſſe eliciendа quatuor elementa,prodidit,tellurem ſiccum & frigidum elementum : quæ quum nulla ſimilis inueniatur, non videtur alio argumento pugnandus Ariſtoteles. Etenim elementa requiruntur vidua omnibus inſitis qualitatibus, quò forent aptiora diſſonis rerum omnium mutationibus, nec vlla firma eorum natura inhiberet varios rerum miſtarum ortus. Nam ſi certa qualitas eſſet tributa à natura ſingulis elementis, nunquam vaneſceret ſine elementorum interitu, ac impediret originem rerum quibus refragaretur. Adhæc opus eſt tellurem præbere cibum animalibus,ac profundere infinita genera rerum . idcirco non manet aſſiduè frigida & ſicca: deinde tellus modò imbribus rigatur,nunc torretur violento ſole,atque patet infinitis rerum mutationibus. Denſatur autem illa quidē,nudata omnibus qualitatibus,quę natę ſunt iugulare vllum rerum genus:
verùm

verùm manet omnibus accommodatiſſima, facilè tuetur res obuias, & tanquam mater nos alit. Verùm tellus auidiſsima quum ſit, & vidua omni humore, quo tanquam glutine omnia dēſantur & cohærēt, perflata ventis vehementioribus volitabit per aërem in faciem ſcobis & pulueris. Aqua etiamnum perperā proditur inſtructa naturali frigore. ſiquidem qualitas naturalis nequaquam ſeparatur ſine interitu rerum ſubiectarum. Hippocrates quoque percelebrat aquas puriſsimas & clariſsimas, quia ſunt viduæ omnibus alterius generis qualitatibus, quæque premuntur ſubito calore & frigore. Præter hæc aqua datur pro potu animalibus, quia ſubinde miſcetur denſis epulis quibus indulgent, ſorbet átque euocat in totum corpus ciborum eſſentiam idoneam ad alendum, atque patet cunctis ferè rerum mutationibus. Elixationes etiamnum teſtantur aquam eſſe admodum mutabilem. Scienter ergo Hippocrates tradidit libro de locis & aquis, maturè durari, vix perco qui vel domari aquas quæ ex ſaxis ſcaturiūt: miſcētur enim mucoſæ materiæ quæ cogitur in lapidem. Perſpicuū eſt, elementa nudari inſitis qualitatibus omnibus, quò aptiora forent multiformibus rerū infinitarū miſturis, & maturè ferrent ſingulas rerum miſtarum proprietates. Quúmque ſummus rerū omnium opifex recrearetur corporibus dēſis & liquidis, eodē iure attulit duplex elementū, denſum & liquidum, ex quibus omnes corporū mixturæ conſtarent. Iam reliquum eſt perſequamur aërem, quem temerè in elementis numerat Ariſtoteles. Etenim exiſtimat aërē præſtare qualitatibus calidis & humidis, quum ſit ferè expers omnium qualitatum naturalium. ſiquidem patet omnibus, nunc alget, modò extorret, aliàs rigatur imbribus, quandoque exhauſto omni madore inareſcit, nec vllis qualitatibus addictus eſt. Porro erat opus vniuerſitatem conſtare cor-

pore tenuiſsimo, vbique meabili, & promptiſsimæ mutationis, in quo animalia traherēt ſpiritū, & perciperent cunctas qualitates ſubiectas ſub aciem ſenſuum. Aëré ergo ſtatim cōmutāt qualitates obuiæ. eo enim tranſlucido cernimus oculis candorē & nigritiē, ſoni ſubeunt auriū anfractuoſa ſpiracula, odores mouent olfactum, & tactus ſentit quæ neceſſaria ſunt: quouis pariter ſidere afflantur & commouentur omnia inferiora per aërē interpoſitū, tenuiſsimū corpus. Itaque erat neceſſaria aëris fabrica ad vitæ vſum, neque ex eo tanquam ex elemento res miſtæ corporantur. manet enim aſſiduè paratus ad famulandum ſenſibus, mutabilis, qui nullas rerū mutationes inhibeat. Neque opinandum eſt ſimul cum Ariſtotele, aërem exiſtere humidiſsimum. neque enim imbuitur madore aquoſo, neque oleoſo, aut qui poſsit fieri quaſi paſtus ignibus. his enim comminiſcitur aërē vicinū. Quúmque ignis exhauriat & abſumat omnē madorē, aut protin' cremabitur aër, aut vaporabitur eius tactus finitimus igni. Deinde qualitas naturalis nunquam tollitur, niſi emoriatur res ſubiecta. Nihilominus aër facilè exareſcit & frigore premitur. Cæterùm difficile eſt intueri quamobrem Ariſtoteles ſtatuerit igneum elemētum, quoniam nullus eius eſt ſenſus: ſed ſola mēte & cogitatione ab Ariſtotele depingitur non ſine errore euidentiſſimo. ſiquidem afflatus ac vires ſiderum huc deorſum ſe inſinuant per corpus tenuiſſimum, & valde opportunum diuerſis rerum mutationibus. aliàs enim lāgueſceret vis ſiderum horridorū. Idcirco protinus exaſperant rigores hyemis, pluuias gignunt, neque id moliuntur per igneum corpus intermedium quo deflagrāt omnia & protinus areſcunt. Adhæc haud licet aſſentiri philoſophis, qui ſalem, alumen, & ſimilia corpora numerāt in generibus elementorū, quia perſpiciūt cineres & nonnulla corpora miſta condita ſale aūt alumine.

Neque dubium est lixiuiam salsam reddi ex cineribus quibus sal inest. Porrò sole clarius est, corporum misturas plurimum variare ac instrui diuersis facultatibus: verùm elementa separantur in densa & fluida. Scitè ergo destillationes rerum mistarum demonstrãt solùm densam & fluidã naturã ex qua corporãtur: verùm tellus suapte vi densa ilico instruitur liquore vt glutine, quò degeneret in corpus mistum coaptentur eius partes singulæ, & cohęreant vt ęquũ est. manet etiamnum perennis sympathia & naturalis familiaritas vtriusq; elemẽti, dẽsi & fluidi. Quúmque primus rerum autor desideraret liquorem aquosum inimicũ ignibus, itémque alium quo fouetur ac tuetur ignis, vtrumque adhibuit pro glutine dẽsi elementi. Neq; subscribendum est physiologis, qui tradunt glaciẽ esse corpus mistum, sed imperfectum: neque enim aliud est prҫter quã aqueũ elemẽtũ coactũ in glaciem ex grauissimo frigore circumdati spiritus.

DE REBVS IGNEIS ET CRINITIS sideribus, CAP. II.

CERTVM est, elementum fluidum, de quo superiùs egimus, distingui in duo genera. Namque vel ignem restinguit & eius viribus reluctatur, vel eum fouet cõseruátque. nihilominus vtrũque suapte natura protinus vaporatur, & se vertit in halitus qui sursum eunt ac euolãt, neque obtinent vires rerum mistarũ, quum sint corpora simplicia, quæ plurimum yariare suprapos uimus, & maturè commutari: nihilominus hærent assiduè elementa & corpora sine misturis. Cęterùm vapores aquosi reluctantur ignibus, & cuncta rigare solent: similiter vbi vaporantur humores qui ignẽ fouẽt ac alunt, transeunt in halitus qui subinde accenduntur & ignẽ conseruant. Idcircò simulac inflammantur vapores parati ad ignem fouendum in sublimi regione, oritur ignis multiformis qui sursum,

flagrat. Ideóque nũc emicat clypeus ardens, aliàs halitus ſcintillãt ſimiles hircis draconibus: quandoque emergunt faces ardentes, trabes, lampades, & perſæpe ſidera ruere viſuntur. namque ignis variè figuratur ex diuerſis formis vaporũ qui ſurſum cõflagrant: ſin autem hìc deorſum vbi ſumus cremãtur, vagatur ignis qui genitis mortalibus pauorem incutit. Porro eſt dilucidum, halitus ad cremandum paratiſsimos iã obtinere calorem ſibi proprium, quem facilè intendit inſignis eorum vbertas, donec ſequatur ignis, neque modò vires & afflatus ſiderum hunc ignẽ creãt: ſed vaporum calor plerumque creſcit ſuapte natura, donec iam ſit ignis eodẽ modo atque frigus intentũ cogit in gelu res ad glaciandũ idoneas. Neq; celebrãtur philoſophi qui tradũt, vapores ſurſum pulſos inſueto motu ſtatim cremari: quoniã motus diſſipat in ſublimi halitus liberaliter cumulatos, mollítq; protinus ardorem eorum. Eſt vtique perſpicuũ, calorem eorum quæ nõ diſſoluuntur, ſed hærent integra, vbi agitantur motu, recreſcere violento pulſu citato: verùm miteſcit calor eorum quæ diſsipantur motu. Itaque non eſt celebrandus Ariſtoteles, quoniã autor eſt aërem ignibus finitimũ pelli violento motu ſtellarum, & creſcere eius calorem. ſiquidẽ ocior eſt vis & natura ſiderũ, ac citius pelluntur motu quàm aër immẽſis rebus opportuniſsimus. Idẽ ferè denũtiant motus eorum quæ ambiunt, nec vllo motu incitant quod continetur, velut aqua riuulorum non mouet lapides qui ſubſidunt ac demerguntur. Ignis quoque de quo agimus, vix emicat vbi cœlum perflatur vehementioribus ventis, ſed modò apparet nocte ſerena, quoniam interdiu abſconditur lumine ſolis, diſſoluitúrque ventis cœlo expoſito. Iam licet perſequi ſtellas crinitas, quarum multa genera memorat Plinius libro ſecundo naturalis hiſtoriæ. ex quibus aliæ mouentur ſiderum errantium modo, aliæ hærent im mobiles.

immobiles. Iure ergo nonnulli prodiderunt, ſtellas crinitas eſſe perennes, ire ſuo ambitu, nec niſi relictas à ſole cerni. Proinde ſemper apparerent emergere in vicinia ſolis, etiamſi ſæpe procul à ſole appareãt. Ariſtoteles tradit, ſtellas crinitas naſci humore fortuito, & ignea quadã vi correptis nubibus, ideóq; paulatim ſoluuntur. nihilominus ignis protinus vapores aſſumit, neq; morã prorogat in nube deflagrãte. Adhæc varia eſt figura ignis, nec eadẽ aſſiduè diutius remanet. Crediderim hęc omnia incerta ratione cõſtare: verùm quẽadmodũ hîc deorſum vbi ſumus, plerũque terrẽt genitos mortales viſa inſueta ac inaudita & prodigia prænuntia rerum magnarum quę nulla ſcientia cõprehenduntur: ita ſurſum in aëre frequenter apparent monſtra horrida, abdita maieſtate naturæ, eáque ludibria ſibi, nobis miracula aut nũtia rerum futurarum ſagaciſsima natura fecit.

DE PLVVIA, NIVE, ET grandine, CAP. III.

NEMO negat aquoſum elementum protinus vaporari & exire in halitus qui obtinent aquoſam naturam: ſed ignei halitus flagrantes in ſublimi protinus abſumuntur, vapores autem aquoſi facilè ſurſum concreſcunt, & curſu reciproco ruunt deorſum, atque in priſtinum ſtatum remigrant, quemadmodum deinceps illuſtrabimus. Quúmque primus rerum omnium parens ſtatuiſſet vniuerſitatem obnoxiam diſſonis mutationibus, ac in eius circuitu nouari plura genera rerum, attulit ignem & aquam, quæ omnia ſubeunt. Idcirco pluribus in locis ignis emicat, iugulat, ſimúlque cremat res obuias, aut exuberat aqua, ſorbet hauríitque res infinitas. Ita hæret vniuerſum ſortis obnoxiæ. Cæterùm vapores aquoſi nonnunquam coguntur in denſas nubes, quæ & ſolem & alia ſidera facilè obumbrant: deinde in a-

quam aut densiorem naturā concrescunt, deorsum redit ea quidem, rigat vbi opus est, & fertur pluuia de qua fit quæstio. Cæterùm turpiter peccat Aristoteles, quoniam metitur causas pluuiæ ex vaporibus qui coeunt & cócrescũt sursum circũdati algido spiritu, atque spissantur in aquã. Etenim per æstatẽ plerumque decidit pluuia feruens, quam non gignit atrox frigus: ęquè quoque per hyemen frequẽter ruit frigidissima pluuia. siquidem ex diuersis vaporibus nascitur pluuia admodum dissimilis. etenim mox sursum algidissimi coguntur, aliàs sunt tepidi, quandoque feruent feré. nihilominus difficile est scire cur vapores in sublimi concrescant in aquam. Id vtique testantur destillationes: neque enim halitus sursum fusos cogit vel densat in aquam alembici frigus. nam quãdoq; fermè extorret aut excãdescit ignibus subiectis, simúlque reddit aquas liberales vel ex coactis vaporibus eructat alios liquores in magna copia. Cæterùm id creant aquosi vapores suapte natura, qui quum liberaliùs cumulantur per fastigia alembici, includuntur angustius, nec vsquam possunt emigrare, tanquam reciprocantibus alueis reuertuntur in suũ pristinum statum, & in aquam degenerant, quæ fertur apertis rostris riuulísque alembici. Idem planè aperiunt operculati lebetes pleni aqua feruidissima, quæ iugiter euomit halitus sursum, nec diu hærent operculatis vasis, sed protinus redeũt in aquã feruidã, neque densescũt rigido tegmine quũ persępe excãdescat. Eodẽ planè modo aquosi vapores sursum in aëre aliquãdo cumulãtur vbertim dẽsantur in nubes, & in aquã se vertũt, quæ quidẽ vt guttatim gignitur, ita ruit deorsum, simulatque aqua orsa est. Cæterũ memorat Plinius emersisse nõnunquã imbres prodigiosos, relatúmque in monumenta pluisse lacte, sanguine, carne, ferro, lana & coctis lateribus: nostro san è æuo pluit ranis. Certum est, nonnullos existimauisse

occulta

occulta quadam ratione per æstatem ranas fieri ex imbribus mistis limo, quæ quidem nemine cernente protinus in limum resoluuntur & ex toto vanescunt. Nam pari iure pisces subinde oriuntur in aquis stagnantibus: ost nta verò imbrium emergunt incerta ratione, manéntque abdita imperio summi opificis: sed ros eodem modo fit deorsum atque pluuia in sublimi gignitur, quatenus loco solùm videantur dissentire inuicem: quoniam si sit hebes vapor aquosus, nec sursum fertur, moratur hic vbi sumus, alluit densiorem naturam rerum, cogitur & se vertit in aquam, ex qua primam originem traxerat, atque properat ros. Proinde ros, neque gelu sæuiẽte, neque ardoribus, neque ventis, nec nisi nocte serena existit. siquidem halitus gelu opprimente in glaciem concrescunt eodem momento atque transeunt in aquam, vanescunt per torridos æstus, & flatibus dissoluuntur: sed nocte serena ac lucida diu manent deorsum, redeúntque in aquam, vbi occursunt densiori cuidam naturæ. Nihilominus interdum hæret hîc deorsum insignis vaporum abundantia, neque densatur in rorem, neque in pluuiam cogitur, quia hebetior est ac tenuior, sed concrescit in nebulam & spissam caliginem, donec sol obumbrare appareat, nec quisquam nubilo die eminus intuetur. Nunc superest illustremus causas niuium. nascuntur enim ex aquoso vapore & ex nubibus caliginosis, quę quidem eodem articulo temporis in aquam & in glaciem concrescunt. Iure ergo prodidit Plinius niuem fieri imbre conglaciato mollius quàm grandines, de quibus deinceps disputabimus. Neque est sine reprehensione Aristoteles, quia tradidit niuem prorumpere ex nubibus congelatis, priusquam transirent in aquam. neque enim liquata nix existit halitus, sed aqua: verùm frigus eius quod ambit, grauius est, gelátque vapores eodem momento temporis

atque in aquam migrāt. Sed haud par est ratio grandinis. fit enim aqua, quæ quum decidit gelatur. Æquè quoque pruina fit ex vaporibus aquosis qui in rorem spissescunt, simúlque eodem momento gelātur, quum frigus circumdati spiritus acerbius vrgeat. Itaque autor est Plinius, „pruinam oriri ex gelido rore. Idcirco & ros & pruina gignuntur deorsum ex halitu aquoso qui hebes est, nec transcurrit sensum altius, sed occurrit densis corporibus, cogitur redítq; in aqueam essentiam ex qua migrauerat. Verùm nubes in sublimi dēsantur primùm in spissam caliginē quæ cœlos obumbrat, crescítque donec in aquam transierit: deorsum autem hebetior est vaporum caligo, neque in aquam coguntur, nisi spissescāt occursu densioris naturæ. Licet etiamnum intelligere omnes liquores minui gelādo, nec soluta glacie inueniri eundem modum: quoniam pars liquorum tenuissima expirat fuso gelu, neque in aquam redit. Iam opus est perpurgare grandinem: cuius causæ impulerunt Aristotelem, clarissimum philosophum, in grauissimos errores: qui quum intueretur, per æstatem potissimum grandinem oriri, ratus est per id tēpus superiora premi frigore atrocissimo. Nihilominus est dilucidū, solē sideráque vniuersa priùs ardere & radiare in sublimi quā deorsum suos radíos aut ardores fœnerarent, vbi sæpe nubila opacant sublimioribus translucidis. Itaque probabile est grandinem fieri ex aquosis vaporibus longè frigidissimis, quos ferè æstiuis ardoribus eructant scaturigines algidissimorum fontium, simúlque fusæ niues in altissimis montium iugis: quibus sanè liquatis cœlum frigore premitur, & incutitur grandinis metus. siquidem in sublimi quū sunt dēsātur in nubē caliginosā, & in aquā degenerant, quæ ruit guttatim per nubem suprapositam rigidam admodum, donec stillæ decidentes cōglaciātur in grādinē. Omnis enim motio quæ loco fit, adhibet morā lōgiorē quā glacies cōcrescat, aut

lac dēſari poſſit in caſeū:itémque diutius manet quā ſtellarū collucētium oculi radiare ac fulgere ſoleant: quæ quidem omnia in momento emergunt. Iure ergo quieſcēte grandine plerumque fertur pluuia, quia iam mollitur atrox nubium frigus, neque valet ad cō gelandum. Idcirco Aquitania contermina montibus altiſſimis per torridam æſtatem protinus fatigatur grandine vaſtioris magnitudinis, frigeſcítque nonnunquam præter opinionem liquatis montium niuibus, quæ eructant fumidam materiam, algidam niuium inſtar, obumbrat cœlos, denſatúrque in rigidas nubes quæ deorſum frigus mouent: Ruſſia verò, plana regio, prima æſtate patet grandini, quoniam per id tempus liqueſcunt niues hyemis, glacies quoque paludum & vada conglaciata profundunt frigidiſſimos halitus qui in imbrem concreſcunt, obitérque in grandinem congelantur. Cæterò vt hyems niuibus, ſic æſtas eſt obnoxia grandini. nā rigores hyberni vrgent vehementius, gelántque in ſublimi quicquid in aquam denſatur eodem articulo temporis atque ex nubibus oritur aqua: ſed per æſtatem algidiſſimas nubes ambit vndique ardor ſpiritus. namque vis vlla idonea ad gelandum manet extra vaſtiſſimos & opaciſſimos rigores nubium, quarum imprimis ſumma faſtigia coguntur in aquam, quæ quum decurrit rigidas nubes, in grādinem glaciatur ac decidit, velut memorauimus.

DE VENTIS AC TERRAE MOtu, CAP. IIII.

MVLTA phyſiologi adhuc fabulati ſūt de vētis: ex quibus Ariſtoteles tradidit, vētū fieri ex halitu calido & ſicco: qui quum ſuo calore ſurſum euolat, occurrit intermedia aëris pars prędita frigore perēni, ex eo regeritur deorſum violentius, & præcipitatur in auram. Nihilominus eſt perſpicuum, ventos nūc fri-

gore cōſtare, mox flagrare, aliàs fermè teporem ſentire. eos enim creant halitus obnoxii mutationibus diſſonis & multiformibus qualitatibus. Deinde frequenter emergit ventus, & quãdoque procella, nec ſuperat iugum montium. Præter hæc ſæpe intuemur nubes ſimul in eodem tempore exponi ventis contrariis, quum repercuſſus halitus vnum modò ventum concitet. Cernuntur etiamnum quandoque in ſublimi nubes multigenæ, ex quibus nonnullæ trãſuolant in orientem, aliæ in occidentem ferũtur, nec facile eſt ſcire quomodo exoriantur tales ac tã multiplices repercuſſus nubiũ, vaporúmque repulſus ſimul in aëre. Adhæc intermedia aëris pars haud frigidior eſt cæteris eius locis inferioribus quum ſit vicinior ſoli aſtríſque nobiliſſimis: hanc enim modò frigore premunt halitus, quos euomunt liquores frigidiſſimi, qui vaporantur, ſurſum eunt, & coguntur in algidas nubes. Sententias autem fabuloſas quas perhibet Plinius, tanquam vanas prætermiſimus. Nemo ambigit, originem ventorum habere non ignotam legem naturæ, ſed quæ vix pernoſcatur. Hanc exiſtimauerim ventum prorumpere ſimilem torrenti qui fertur curſu rapido, & emergit fluctuantibus vndis. nam halitus repræſentãt vndas & liquores ex quibus exeunt, feruntúrque ocyſsimo curſu ſimili torrenti. nihilominus eorum motus ortúſque iuuãtur afflatu ſiderum & cœlorum quodam quaſi verbere. Quocirca arcturi ſidus non fermè ſine proceloſa grandine emergit, autore Plinio. Ventus quoque ſubſolanus contrarius fauonio prorumpit orientibus vergiliis, ſole obtinente vigeſimamquintam partem tauri. pariter exortum caniculæ diebus propemodum octo aquilones antecedũt, quos prodromos Græci appellant: verùm poſt exortus biduum iidem aquilones conſtantiùs perflãt diebus quadraginta, quos eteſias Græci dixere, molliúntque ardorẽ ſolis geminatum

torrido

torrido ſidere. Procelloſas etiamnum tẽpeſtates & grandines ab horridis ſideribus exire autor eſt Plinius. Neque dubium eſt, halitus per aërem vagari ac manere ſimiles vndis ceu liquamẽtis ex quibus prorumpunt. Idcirco vt ſtagnant interdũ aquæ, ita quieſcunt ſurſum halitus in aëre deorſúmque vbi ſumus. Pariter aqua torrentium quandoque ſæuo impetu ac magna vi ruit, arcetúrque ſolùm incluſa mari vaſtiſſimo, & receptaculo omnium aquarum naturali. Pari iure nonnunquam per aëra vapores eunt, citãt vẽtum, nec deſinit priuſquam ſubeant ſuum locum naturalem ac proprium receptaculum vbi morantur, redeunt frequenter in aquam, aut tranſeunt in liquores, quibus corruentibus ventus ſilet, cœlúmque trãquillatur. Videntur etiamnum halitus qui ſuperiora petunt, adire certam ſedem ſimilem vaſtiſſimo aquarum receptaculo, nec aliàs ſiſtitur eorum fluctus. nihilominus quandoque ſunt hebetiores, nec diſpares ſtagnantibus vndis, neque ventorum cauſæ ſunt. Iã reliquum eſt percontemur hiatus, fremitus ac terræ motus. exiſtunt enim præcipites ſimiles vẽtis: quorum cauſæ etiamſi dilucidæ appareant, tamen maieſtate naturæ fermè deliteſcunt. Cæterùm Ariſtoteles & Plinius tradiderũt, cùm ventos tum halitus eſſe cauſas quamobrem terra hiat, fremit & quatitur. neque enim terræ vnquam tremiſcunt niſi mari ſopito, cœlóque tranquillo, nec vnquam niſi poſt ventos conditos venis & cauernis. Neque enim aliud eſt in terra tremor quàm in nube tonitruum, neque hiatus aliud quàm quum fulmen erumpit incluſo luctãte ſpiritu, & ad libertatem exire nitente. Nihilominus tellus eſt vndique peruia immenſis cuniculis, ſpiraculíſque & meatibus, quibus facilè vaporantur quæ conduntur intus, profundúntque fumum quaſi per fornacem. Eodem planè modo infinita genera beſtiolarũ, & inſecta multigena facilè tranſuo-

lant per ſuprapoſitos meatus anfractúſque ſinuoſos qui neque vndarum curſum morantur. Crediderim terram quati igne intus concremante ſubitò materiam bituminoſam, ſulfuream ac idoneam ad flagrãdum. Similiter terram quatiunt rapidi torrentiũ curſus qui ſubter cuniculatim ruunt. Quapropter terræ motus perſæpe flumina emittunt, autore Plinio, vel promunt ignẽ inuiſum, calidóſque fontes. Quemadmodum enim in ſublimi calor intentus obiter fit ignis: ſimili iure ſubtus terram ac in abditis eius cuniculis calor plerumque augetur, redditur igneus, cremátque quicquid intus continetur ad flagrandũ idoneum. Aequè quoque perſpicuum eſt, flumina & vbertatem aquarum abſcondi vaſtioribus terræ cuniculis. Si verò terram modò quatiunt halitus intus abditi, id ſolùm præſtant in tractu denſiſſimo ſine vllis meatibus, qui ferè nullus apparet. nam aliàs vapores intus quos gignunt attenuati liquores, paulatim ſorbentur & exeunt per infinita ſpiracula quibus tellus abundat vtique: verùm ignis maturè flagrans intus, vndarúmque rapidi curſus ac præcipites terram mouent. Porro comitatur vtplurimum fragor ingens, proſternuntur oppida, exhauriuntur nonnunquam hiatu profundo, qui quandoque remanet, oſtendit quæ ſorpſit, Plinio autore: aliàs omnia occultat ore compreſſo, rurſúſque inducto ſole, quatenus nulla extant veſtigia vrbibus interdũ deuoratis, tractúque agrorum exhauſto.

DE TONITRVIS ET COELO verſicolore, CAP. V.

CONVENIT omnibus, tonitrua & fulmina gigni ex halitu ad concremandum parato, qui quum deflagrat ſurſum, impingítque in nubes aquoſas, tonat eodem planè modo atque ferrum candens immerſum

mersum aquæ vel oleo, aut tanquam vnda mista oleo feruenti. Neque enim miscentur inuicem aqua & oleum feruens: sed aquatior halitus obtinet aquæ naturam, nec ignem alit. Porro fulgetrū notat ignē impactum in nubes aquosas, qui sanè dum rixaretur haud potuit extingui radicitus, ita exit cœlo coruscante. Vbi verò deorsum ruit vapor ardens, erumpítque nec ex toto per aërem volando vanescit, edūtur fulmina. Cuncta ergo tonitrua haud emittunt fulmen, quia plerumque ardor ignis fulgurando in aëre desinit, quatenus nullū se proferat fulmē. Porro haud celebratur Aristoteles, quoniam perhibet flatus calidos & siccos inuolui nube frigida ac humida, quibus inuicem luctantibus tonitrua edūtur. quúmque finditur suprapofita nubes, protinus apparet cœlum coruscare: sin autem perrumpitur, ruunt fulmina. etenim fulgur ignis deflagrantis augurium est. Neque frigus & calor huius rei causę sunt: verùm subest quędam naturalis discordia inter ignem & aquam alioqui feruidam, quoad vterque omnem misturæ rationem repudiauerit. Deinde haud dubio argumēto cōiectandum est, nubes aquosas gelidas mollire ardorem vaporis quem includūt, potissimum caliginosæ quū sint, & quasi durissimo corio vestitæ, hebetántque eius calorē, nec emergit igneus. sed halitus dissoni hæc omnia creant, ex quibus flagrantes impingūt in nubes aquosas, ac tonant, alii in pluuiā cōcrescūt. Cæterò fulgetra priùs cernūtur oculis quā tonitrua exaudiātur, etiāsi vnà prorūpāt. lux enim sonitu velocior est, splendétque ocyus quàm sonus aures feriat. hæc enim editur adhibita loci mutatione: sed lumē in momento fulget atque abscōditur. nihilominus ict' sonit' inuicē cōgruūt, quoniā tonat ictu illato. Cæterū cūcta priùs quatiūtur & afflantur quàm percutiantur, quia spiritus ceu ventus est ocyor fulmine, nec quisquam tangitur qui priùs fulgetrum

viderit,audierítve tonitu,autore Plinio vulnera au-fulminatorum ſunt frigidiora reliquo corpore: ſiquidem grauiſſimas abalienationes excitant partibus quibus infliguntur. Tamen Plinius narrat fulmina multigena ex quibus arida ſiue aquis procelloſa ſuo afflatu diſſipant, neque vrunt. Deinde humida pluuioſa cum procellis infuſcant, ſed cremare nequeunt. Poſtremò fulmen clarum igneúmve labitur, & pauorem incutit. nam vtplurimum exhaurit dolia intactis operimentis,nullóque alio veſtigio relicto:metalla fundit intus ſacculis nullomodo ambuſtis,ac ne liquata quidem cera.ſiquidem ignis fulminum eſt lõgè diſpar noſtris ignibus,ſe inſinuat in penitiſſimas cauitates,quarum itinera omnia obcæcata ſunt.Eodẽ planè modo pannus rigatus aqua viuidè flagrante manet ſinevllo ignis incommodo.nãque ignis natura varia eſt. Iã illuſtrandus eſt circulus lacteus,viſu vtique facilis,nihilominus cauſa ferè abſconditur maieſtate naturæ. Huius ſanè defluuio velut ex vbere aliqua ſata cuncta lacteſcunt duorum ſiderum obſeruatione,aquilo in ſeptentrionali parte & in auſtrina caniculę,velut perhibet Plinius:ipſe circulus fertur per ſagittarium atque geminos,ſolis cẽtro bis æquinoctialem circulum ſecans, commiſſuras eorum obtinente,hinc aquilo, illinc canicula. Ideóque effectus vtriuſque ad omnes frugiferas pertinent terras,quoniã in his tãtùm locis ſolis terræque centra congruunt. Igitur horum ſiderum diebus ſi purus atque mitis aër genitalem illum lacteúmque ſiccum tranſmiſerit in terras, læta adoleſcunt ſata: ſi luna roſcidum frigus aſperſerit, miſta amaritudo vt in lacte puerperium necat. Ceterùm nemo negat, duobus modis cuncta ſterileſcere.nã procellæ,grandines,tonitrua, cæteráque ſimilia ab horridis ſideribus exoriuntur,& mouent ſterilitatem: vel oritur per interlunia aut plenilunia, potiſsimum tempore aquilæ

aquilæ aut caniculæ silente cœlo, serenísque noctibus, nullo sentiente, nisi quū facta est: eáque ex circulo lactea æstimari debet, quoniā suo rore nō alit fruges, fitque abdita quadam ratione afflatu siderum & iactu radiorum, quibus sin sum vapores coguntur in nubes clarissimas, quæ sata omnia rigare assueuerunt. Adhæc nubium claritas eadem est atque interdum, (præsertim in Gothia) visuntur noctu lucidæ nubes. siquidem lumen vt colos plurimum variat: quoniam vtrumque aciem mouet, mox exalbescit, aliàs nigrū est & vmbrosum, interdum rutilat, flauescit, & multiplicius commutatur. Verùm vt quædā colorata noctu splendent, profundúntque claritatem qua præstant, quales sunt præaridi quorundam piscium oculi robustíve caudices vetustate putres: ita aliquando nubes & vapores in sublimi clarescunt, noctúque refulgent, gignunt orbem lacteum, & diei quandam speciem lucere faciunt, si sit eximia eorū claritas. Superest illustremus varios soles lunásque, quas plerique aiunt soles nocturnos. nam interdum se proferunt & referuntur in monumenta. Est manifestū crassas nubes interdum perpolliri ac nitere velut specula aut aqua perliquida, donec facilè reddāt imagines solis, lunæ, & siderum nobilium. Iure ergo vbi nubes dissonæ ac plures huius generis emergunt, cernuntur totidem imagines solis, lunæ, & nobilissimorum siderum. Nam vt specula suam claritatem insignem reddūnt, regerúntque ad oculos imaginem quam exceperunt & colorem: eodem planè modo nubes clarissimæ similes speculis repercutiunt, regerúntque speciem solis, lunæ, ac stellarum. Verùm quandoque nubes è regione solis visuntur sine politura ac nitore, vmbrosæ, speculis dispares, neque reddūt imaginem solis, lunæ, siderúmve aliorum. Nihilominus ex coniecta solis facie prorumpit cœlestis arcus pro imagine solis: lumē verò lunæ est hebetius, neq; suo radio-

rum iactu exhibet arcum. Qúmque nubes multigenæ eregione solis imbecillius clarescunt vel opacantur diuersa ratione figuratæ, exoriuntur dissimiles arcus. Neque existimandum est simul cum Aristotele, omnes arcus ex vno solùm fieri, quia nascuntur in dissonis nubibus soli oppositis. Cæterùm in eas reprehensiones Aristoteles incurrit quũ videret plures arcus & breues & vastos simul fieri, necnon euerti ordinem colorum & variare. Perspiciendum est, diuersos arcus gigni in multiformibus nubibus, euertíque coloris ordinem iuxta ac specula nonnunquam figurantur, quæ reddunt repercutiúntque ad oculos cunctas imagines euersas. Haud dubium est, hebescere admodum colores arcus cœlestis, neque repellũtur neque regerũtur lõgius, nec alium creant arcum: verũtamẽ sublimes arcus emergũt sole humili, eóque sublimi humiles. nã sol humilis radiat fulgétq; inualidi⁹, nec potest splẽdere in locis nubiũ vmbrosis, finitimis centro, lucétque modò in clariorib⁹ earũ cacuminib⁹: sol autẽ sublimior efficaci⁹ lucet, ridiátq; ocyus in nube caliginosa & opacis eius partibus, gignítque humiliores arcus. Cur autem redeãt iugiter iidem colores arcus cœlestis, neque mutentur arcu nouato, vix licet deprehendere, nisi quis tradiderit solem colores præstare suorum radiorum iactu qui similes permanent, regerúntque parem fulgorem. Lumen autem varium est, simile multiformibus coloribus, quũ vtriusque sit propriũ ferire aciẽ. Proinde scrobes, voragines, similésque rerum species nascuntur ex varietate luminis: eáque omnia ludibria sibi, nobis miracula, monstráque horrida fecit ingeniosa natura, eodem planè modo atq; pictores subinde colorẽ variũ exhibẽt. Cæterò scrobes ferè proferuntur, quia nubes vmbrosa circumdatur dilutiori.

DE AQVARVM SCATEBRIS, FERuore & mari, CAP. VI.

TELLVS cūcta fermè quę naſcūtur alit,& velut mater ſuſtinet .Iure ergo ſcatet amœniſſims fontibus. exhibent enim ſitibundis potionem neceſſariam ad vitæ vſum,ne tanquam nouerca triſtis inexpleta ſiti vllum animal cruciaret. Cæterūm perennes ſcaturigines fontium haud capit humanę coniectura mē-tis.Neque enim Ariſtoteli ſubſcribere licet, qui ratus eſt penitiſſimos terræ ſpecus & ſinus cuniculoſos iugiter aere impleri,ne maneret vllā eorū inanitas:hic autem ſpatio interpoſito dēſatur cogitúrq; in ſtellas aquoſas,quę quidem ruunt in locum fontis, ex quo ſemper fertur aqua. Cæterùm alibi declarauimus, aërem non concreſcere, neque ſpiſſari in liquores. hæret enim velut corpus tenuiſſimum, & fœcundum in omnia qualitatum genera, atque obnoxium diſſonis mutationibus,ſimile inani. Sed aqua gignitur ex aquatiori vapore,q. ſanè exuberat in ſinuoſis terræ cuniculis & anfractuoſis meatibus, atque in aquam denſatur,ex cuius curſu fontes ſcaturiunt, rigant ſolum,noxiámque ſitim maturè mitigant.Itaque ſubtus terram conduntur fermè ſpecus rigui & perfuſi madore aſſiduo. Tamen liquidò conſtat omnibus, interdùm aquas fontium creſcere ex imbrium abundātia, quæ decurrunt internos ſolis ſpecus & meatus ſinuoſos, vitiántque alioqui clariſſimam & puriſſimam aquam, cuius incommoda ſapores ſimúlque odores aperiunt. vnda enim pura eſt vidua omni alieno ſapore ac odore,ſuo naturali ſibique proprio inſtructa quum ſit.Loca autem cliuoſa ſcatent amœniſſimis fontibus: ſiquidem riuuli deorſum euocantur ex altiſſimis montium iugis, ac ſubinde in decliui emergunt : ſed plana regio in vicem fontium habet puteos , quum aliàs

non possit aquam profundere. Sanè conuenit omnibus, subter tellurem interdum, & per internas eius cauitates aquas exūdare, ferríq; fluuios vastissimos. Variant autem sapores aquarum ex locis quib⁹ fluūt, éxque eo nascuntur salinæ, & vini modo faciunt temulentos, exhibéntque saporem aluminis, nec facilè aqua pura ac sine vitio hæret, quum sit admodū mutabilis. Cęterùm fluuios vastissimos gignunt primę fontium scatebræ, pòst intumescunt alio cōfluxu vndarum multiformi, effunduntur, restagnántq; vt plurimum. Iam licet perhibere reciprocos maris æstus, quos verisimile est fieri abdita quadā ratione ex penitissimis terræ cauitatibus, quib⁹ sorbetur aqua maris, deinde regeritur sua maiore abundantia: nec vbique maris æstus accedūt. nam & mare Gothicum & Ligusticum nullos habet reciprocos æstus, cuius aqua angustiori cauitate sorbetur, eiúsque par modus est, nisi mari tranquillo mitior sit aquę motus, & exūdauerit procellis orientibus. Nonnulli tradunt, assiduos maris ęstus fieri terra titubante, suspensa quum sit, & vndique spiritu circumdata. nā mare includūt terræ sinus vastissimi, iuxta ac vase aqua cōtinetur & fertur motu vasis. nā aqua omnis aut ruit in pręceps, aut pellitur motu loci quē occupat, aut quiescit: sed vastius mare sentit æstus reciprocos, quū facilè sequatur terrā titubantē. Nihilominus cuncta ferme inferiora afflātur aliquo sidere, & commouētur statis tēporibus. Idcirco modici æstus noua luna affluunt, plena exuberāt: similiter mense Martio ac Iulio intumescunt, aliàs decrescūt, vidétúrque vndę suis inūdationibus ancillari cœlo ac lunæ & corporibus superiorib⁹. Adhęc nōnulli rati sunt, spōte naturę æstus maris accedere & reciprocari, etiāsi mutētur vario lunæ cursu. Etenim si lunæ & siderum sola vis excitauerit perennes maris æstus, nullum mare sine ęstu futurū est, quū & siderū vires sentiat, & iactu radiorum lunæ so-
leat

leat omnibus in locis flagellari. Porro salsum mare non gignitur ardore solis qui siccat ac sorbet aquam dulcem tenuémque manente eo quod crassum & asperum existit. nam eodem modo asperabitur salsa vis aquarum stagnantiũ, quæ nihilominus semper dulcescunt, plerumque feruent ardore solis, nec redduntur salsæ. Pariter nonnulli falsò perhibuerũt mare salsum, quia plurimũ ex arido misceatur illi vapore: æquè quoque rati sunt lixiuiam salsam, quoniã aridus cinerum vapor miscetur aquæ dulci. Conuenit omnibus, cineres habere magnam copiam salis, qui in aqua liquatus suo sapore imbuit lixiuiam. salvtique habet vim terream similem metallo, effoditur plerisque in locis ad ciborum intinctus, neque vaporatur liquorum instar, nec eius destillationes aquam salsã reddunt. Sanè crediderim, mare sponte naturæ salsũ, cuius vis & maiestas in omnib9 momẽtis fide caret: quæ quum instituisset vniuersitatem sortis obnoxiæ, attulit aquas longè dispares, ex quibus nonnullæ amarescunt, dulcescunt aliæ, quædam sunt acidæ, aliæ vinosæ & quandoque aluminosæ deprehendũtur: nã statuunt elementum fluidum. His etiamnum literis par est illustrare fõtes feruidos, quorũ calorẽ nõ mouet sulfur, nõ sal, non alumẽ, sed verisimile est intus cõtineri cretã aut limum, qui aqua infusa eodem modo flagrat atque bitumen inflammatum alitur aquosa aspergine. Pariter nautæ iacula bellica leuiter flagrantia mergunt in mare, vt crescat ignis iam languescens, nec emoriatur. Perspicuum est, sulfur, alumen, densáque multigena protinus aquæ misceri, eam vitiant in sulfur, alumen & naturam sibi propriam, neque ex eo aqua calidior est, nec magis feruet: sed lim9 intus subest, qui rigat9 aqua, torret & creat aquas feruidas. Iure ergo epota aqua multorum fontium feruidorum præbet modò insipidum aquæ teporẽ, nec eius vllus est alius sapor vel odor. Cæterò vis naturæ

rerum atque maiestas sæpe nobis absconditur: siquidem aquæ feruentes scaturiunt miraculo quodam naturæ ex locis qui continent limum flagrantem aqua rigata. Cæterò mirari licet aquam feruẽtis fontis in Bigorẽsi tractu Vasconiæ. nãq; data ieiunis liberaliter mouet vrinã sine vlla noxa, & tota subin de redditur. Proinde verisimile est, huius generis aquam percurrere flagrantem cretam ac idoneam ad pellẽdas vrinas. Neque dubiũ est, cretam aqua infusa flagrare eodẽ planè modo atq; rigata calx deflagrat.

DE METALLIS, Cap. VII.

METALLA omnia numerãtur in rebus mistis, & corporantur ex denso & fluido elemento: nam vtrũque linquunt eorũ destillationes. Meritò ergo abroganda est sententia Aristotelis, quia perhibet originem metallorum æstimandam esse ex vaporibus qui includuntur absconditis terræ cuniculis, & penitissimis cauitatibus, ac durantur in metalla. siquidem vapores nascuntur exeunte liquore cóque attenuato. Nulli autẽ liquores cogi possunt in dura metalla, nisi misceãtur densiori naturæ. Proinde credibile est, metalla fieri ex suprapositis elemẽtis iuxta ac cætera rerum mistarum genera. Differunt autem ratione formarum, quibus decorantur. alia namque forma est auri, alia argenti, alia electri, æris, ferri, plumbi, omniúmque metallorum, quorum vna vena inuenta, non procul alia deprehenditur. In hunc ergo modum vagantur huc & illuc, & metalla Græcis dicta sunt. Iam licet abdicare chymistas, qui sibi vendicant pretiosam artem metalla mutandi suo arbitrio, segregari volunt ab aliorum turba, vt videantur subtilius tenere pretia rerum, simulãt plenam scientiam mutationis & transfigurationis metallorum: sola tamen illis superest æterni dedecoris & mendacii memoria. Certum est, omni auro inesse argentum, vario pondere alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte,

velut perhibet Plinius. Cætera quoque metalla vix plura erui possunt:singula nãque visceribus terræ cõduntur,neque tamen verisimile est transfigurari inuicem corpora formarum differentium, nisi doceatur alterum eorum.Sed eius rei causa absconditur naturæ maiestate.neque enim naturales rerum formæ constant hominum artificio. Quum autem euoluissent chymistæ imperitos rerum naturaliũ autores, qui tradiderunt metalla fieri ex sulfure & argento viuo,eo errore conuicti excogitauerunt vtriusque varium vsum, cœperunt inuicem metalla confundere, adulterare & fallere institores,qui in numis tractandis suam omnem operam ponunt.Scribit Plinius,in argentifodinis inueniri lapidem cuius vomica liquoris æterni argentum viuum appellatur, venenum rerum omnium,exest & perrumpit vasa tabe dira permanans,sed nulla apparet eius mutatio in aliam metallorum naturam.Quúmque nidor metallorum quę interdum cremantur,sæpe sit similis sulfuri, chymistę opinantur sulfur inesse metallis huius generis. Nihilominus aurum in silice reperitur,effoditur puteorũ scrobibus,aut in ruina montiũ:inuenitur quoque fluminũ ramentis,autore Plinio:argenti verò metalla deprehenduntur in puteis, nulláque sui spe nascuntur, nullis apparentibus signis sulfuris, nec vllo testimonio argenti viui,nisi ex lapide qui vomica turget:imò verò argentum terra est rufa,cineracea, neque excoquitur citra plumbum nigrum.Quapropter metallorum omnium causæ æstimandæ sunt naturales.tellus enim interna sui parte cõtinet dispares metallorum fodinas ad varios hominum vsus. Eodem planè modo educit fruges & frutices,quorum varietas absconditur maiestate naturæ, nec arte constant. Neque simulanda est pretiosa chymistarum ars, sed meritò abdicari debet,vt quæ abundet capturis. Nihilominus celebrauerim artem destillandi, quam nobilissimam excogitauerunt non sine impẽdio &

magno fructu ægrotantium. Sed ex metallis transfiguratis nullum manet salarium citra adulterata metalla, aut præter æs signatum aliena imagine. Metalla ergo meritò produntur constare duplici elemento, denso ac fluido, vtraque in abditis terræ cauitatibus coguntur, & degenerant in metallum sui generis, nisi fluidum aliquod oriatur, ac simile argento viuo. Itaque fusis metallis hærent modò liquores, quos aliàs perhibemus durari incerta ratione, & corporantur ex natura duplici, promiscua mistis rebus omnibus, tamen discrepant peculiariter forma sua naturali. Adhæc haud sunt in pretio qui tradiderunt crystallũ fieri ex glacie quæ omnimodo inaruit intus. glacies nãque semper manet liquabilis: crystallina verò vniuersa ex terra effodiuntur, & emergunt similia metallis. Non est dispar ratio salis & aluminis, quæ eruuntur ex intimis terrę cuniculis, nisi ars accedat, & sal reddatur arescente aut exhausta aqua maris salinarúmque.

NATVRALIVM ANIMADVERSIONVM IN ARISTOTELEM LIBER TERTIVS,

De anima ac ſenſu.

DE ANIMA,

Cap. I.

RESTAT agere de anima, quum ſit princeps natura eorum omnium quæ ſunt in viuis, & ſine qua nihil vitæ eſt reliquum. Cæterùm videtur perperam Ariſtoteles tradidiſſe animam ἐντελέχειαν corporis animati. eo enim verbo omnium ingeniorum acumen inuoluit, neque explicat id de quo ſit quæſtio. ſiquidem perhibuit ἐντελέχειαν verbum promiſcuū motionibus, functionibus ac formis rerum naturalium. Idcóque autor eſt Ariſtoteles animam eſſe ἐντελέχειαν ceu formā rerum animatarum, & quæ ſunt in viuis: ſed non declarat quæ forma illa ſit, quum id non capiat cōiectura mētis humanæ. Itaque viſus eſt modò aperire vim nominis, quia linquit principem naturam eorum quę viuunt, & formam cuius cauſa vita fruuntur, contentus tradita nominis expoſitione. Deinde eſt anceps ſignificatio verbi ἐντελέχεια, neque valet ad definiendum. Iam qui mente & ratione cernunt animalia oriri ex genitura ſexus vtriuſque profuſa ac miſta in vtero vbi moratur vt æquum eſt, facilè tenent eam intus animari, corporari & figurari ad minima momē-

ta, eodem planè modo atque frutices primo vere ve stiuntur sua fronde minimo temporis articulo, nec eius sensus vllus est, nisi quum iam frondes apparent: similiter lac cogitur in caseum breuissimo tempore: genitura quoq; intus animatur & corporatur ignota ratione, ac tēporis momento breuissimo, neque eius rei causa vlla est euidēs. Nihilominus est lōgè facilli mū intueri animam ex suis effectis, quia vitā, sensum, motúmq; nobis impertit: sed quæ sit eius natura, delitescit omnibus. Quare post sepulturam infinitū est narrare varias animarū & maniū ambages quæ orsæ sunt. Nonnulli excogitauerunt trāsfigurationem, ita somniantes animas defunctorū quæ in alia corpora migrarēt: quidā iterarūt vitā mortuis, dederúntq; sensus & spem reuiuiscendi promissam Democrito, qui ne ipse quidē reuixit, velut autor est Plinius. Aliqui negarunt sensum mortuis, dixerúntque eos non magis hærere à morte quàm ante natalem. Quę quidem omnia multis modis comminiscuntur, sēque ex eo propagarūt in futurum vanæ maniū opiniones, quorum sedem securissimam tuetur ac perspicit solus rerum omnium opifex. Adhæc physiologi distinxerūt animam triplicem ex rebus quę vita præstant. Primū namque animæ genus est peculiare ex terra nascentibus, quibus vitam impertit, incrementa & proprietates multas largitur sine vllo sensu. Neque tamen certū est frutices arborésve nasci omni sensu viduas. etenim suis radicibus sorbent suum pastum, alienum repudiant, conficiuntur ardore solis, in locis riguis sterilescunt, in sitientibus vltra modum moriuntur, quibus regiones sunt in deliciis. hæc sanè omnia testantur sensum subesse rebus omnibus quas terra ex se fundit: sed ignotæ formæ & animarū ambages red dūt homines earū rerū ex toto imperitos. Alterū genus animarū accōmodatur beluis. eo enim viuunt, sentiunt, & motu pelluntur, sed ratione vacant: sepa-

ran-

rantur autem ſenſu ab his quæ terra naſcuntur. Tamen Galenus tribuit beſtiis abditam quandam rationem, qua ſuum herum perſcipiunt canes, ſuos equites equi, & alites ſuos venatores: verùm nullus eſt beluarum ſermo qui traditã rationem aperiat: quare eo ipſo ab hominibus diſcrepant. Credibile eſt ea omnia quæ terra naſcuntur cibum capere iuxta ac oſſa & membra hominum quę nullum ſenſum habent, donec ſint pariter vidua omni ſenſu. Poſtremum & perfectiſſimarum animarum genus accommodatur homini, quoniã ſerenat nubila internorum ſenſuũ, ex eo hærent cuique nobiliſſimæ dotes, accedit ſermo & contemplatio rerum æternarum, quibus credibile eſt mortis vitam redire, iterantúrque ſenſus, qui ſine corpore animas ornãt, & naturæ maieſtate abſconduntur.

DE SENSV INTERNO, Cap. II.

NVNC licet perſequi vim ſenſu præditam, quum ſit nobiliſſima natura animalium. Meritò ergo produntur conſtare ſenſu duplici. nam vel intus conditur, ceu hæret parte interna, vel externa parte prorumpit. Neque dubium eſt, ſenſum internum dignoſci ex varia perceptione eorum quæ ſenſum faciunt. ſiquidem procul inuicem diſcrepãt colores, odores, ſapores, & aliarum qualitatum turba: quæ ſenſum mouere ſolet. Ea autem omnia modò ſeparat ſenſus diſſimilis externis. Neque enim oculis diſiungitur ſonus à luce, neque lingua ſaporẽ diuidit ab odore, quia non valet ad olfaciendum: verùm intus continetur vis ſẽſu prædita, quæ quidẽ vtitur organis externorũ

ſenſuum tanquam feneſtris aut ſpeculis in quibus contemplatur quæcunque ſenſum faciunt,& ſcrupulatim examinat. Eius quoque arbitrio ac nutu moderantur cunctæ facultates animalium, & verſantur in ſuo munere. Iure ergo licet repudiare Ariſtotelem, quoniam tradidit, ſenſus internos multiformes accõmodari cùm hominibus tum perfectis animãtibus, ratus diſſonas eorum vires & officia diuerſa denuntiare diſſimiles ſenſus intus abſcondi. Nihilominus vnus modò intus ſubeſt paratiſſimus; ad inueniendũ, iudicandum, ratiocinandum & contemplandum res obuias omnes. Certum eſt, ſenſum internum de quo diſſerimus, nunc leuiter intueri ea quæ proponũtur, mox eadem cernit altius: tamen vnus modò intus hæret, vult, repudiat & abrogat quę ingrata ſunt. Ideóque grauiter peccat Ariſtoteles, quoniam memoriæ prodidit, vim appetendi aliquando præſtare conſilio mentis & eius rationibus, ac ita inuicem pugnant vt nunc vincat appetitus, aliàs imperet mentis conſilium; ſéque inter ſe pellunt, quaſi pila pilam moueret. Eo autem errore labitur Ariſtoteles, quũ haud dignoſceret ſenſum intus conditum vſu vario conſtare. nam modò rationem adhibet, efficit hoc ſequendum, illud abrogandum eſſe: interdum aliter iudicat. Sed appetendi facultas nunquam in ſuo munere occupatur ſine conſilio interni ſenſus, quem in homine mentem vel intelligentiam dicimus: in beluis, nomen ſenſus retinet. Hic vtique ſimilis imperatori ſedem habet intus, regítque vniuerſas corporis vires ſuo arbitrio: neque ex ſomniis facile eſt efficere diſſimiles ſenſus internos. Quæ quum vix teneri poſſint ſine ſomno, reliquum eſt eius naturam aperire. Neque celebratur Ariſtoteles, quoniam autor eſt ſomnum fieri ex halitu qui ad cerebrum trãſuolat, ibi denſatur, & redit in aquoſam materiam aut dẽſiorem naturam quæ refluit ad riuos corporis quibus

vires sensu ac motu præditæ discurrunt in totum corpus, obcæcat riuos corporis suprapositos, & hebetat facultates sensus ac motus, donec animalia iaceant & opprimantur somno. hæc vtique sententia est sopori peculiaris: somni autem ratio est longè dispar: qui quidem tribuitur naturaliter animalibus diuturno peruigilio fatigatis pro quiete, vt inualescerent ac repeterent pristinum virium robur. Idcirco viribus per somnum cõfirmatis ocyssimè expergiscunt animalia, & dormire desinũt. nam quies mollit lassitudines insuetas & ingestabiles corporis fatigationes. neque enim dormientes carent omni sensu motúque, quia trahunt animam reddúntque: deinde supprimunt vrinam, & aluum morantur tanquam vigiles: sed hebes est sensus dormientium, simúlque languescit eorum motus. Pariter somni opprimunt dormientes, quoniam vis mentis hebetior est, neque acriter cernit sommo grauata. hic enim infirmat vires sentiendi & mouendi. Iure ergo somnia accedunt potissimum somno quiescẽte, ac vbi mitius animalia dormiunt. siquidem altior somnus arcet vires mentis ferè omnes: neque ex somniis facile est efficere dissimiles sensus internos. vnus enim modò iacet prostratus ac hebes in somno. Adhæc morbus atrox persępe mouet somnia tumultuosa, quum inhibeat plenam quietem animalium, nec possit concitare perennes vigilias. Verùm quemadmodum vigiles plerumque animo informant inuisa prodigia rerum, apparéntque similes mente captis: æquè quoq; per somnum mens interdum cernit & contemplatur res insuetas, & monstra immensa. Neque habeatur in pretio Aristoteles, quoniã arbitratur mentem modò intueri subiecta sub aciem externorum sẽsuũ. nã plerumque cernit & contẽplatur opus indictũ ac inuisum: deinde manum adhibet, prodítque nouum ac inauditum opus. Manifestum est eo errore tolli

funditus omnium rerum nouarum inuentiones:neque mens humana præstabit bestiarum sensibus. Quúmque mens in somno similis lymphatis intuetur prodigiosas imagines,hebescit eius sensus, nec dormit altius:eodem planè modo hebes est quãdoq; ingeniorum acumen, nec assiduè homines sapiunt: neque somnia creant humores qui vaporantur & discurrunt sursum. Atqui memoria in sensibus haud potest numerari,sed est sensus interni potentia,& peculiaris affectio:cuius generis traditur inuentio, ratiocinatio & iudicium.siquidem sensus adhibita memoria seruat perceptam rerum omnium notitiam: itémque singulæ animo perceptæ informationes in mentẽ veniunt ex cuiusque ferè deliciis & peculiari arbitrio.Recordationẽ verò nõ separari à memoria demonstrauimus commentariis quibus aliquando Parisiis expugnauimus publicis lectionib' libellũm Aristotelis de memoria. Quum autem Aristoteles tractat recordationem propriam hominibus,& vim mentis quæ reuocat in memoriam id quod aliqua ex parte deletum est ex nostris animis,adhibito aliquo argumento notat vim ratiocinãdi, simúlque vim mẽtis quæ argumentis vtitur:aut comprehendit obliuionem non integram:vt quum notiones rerum quodammodo veniunt in mentem, neque plena est eorum memoria. Cæterùm est perdifficile tenere notiones rerum infinitarum quas animus informat, & protinus intuetur id quod abest.Nemo negat mentem præstare insitis & priuatis suis facultatibus,quarum nulla est euidens ratio:siquidem haud licet explicare quamobrem contemplamur quę procul absunt, eáque in mentem reuocamus.Nihilominus abroganda est sententia Aristotelis:siquidem prodidit notiones rerum quæ ratione ac intelligentia constant, eodem planè modo mentibus hærere atque corpora colorantur,aut variant picturæ rerum,quandoquidẽ

licet

licet infinitas notiones animo cernere:sed vn⁹color tribuitur singulis subiectis rebus. Quocirca est sole clarius,notiones nostris animis inesse similes virtutibus & potentiis agendi,quas infinitas possumus assequi. Voluntas autem & appetitus sunt ancillãtes facultates animorum,quæque modò in suo munere occupantur adhibito consilio sensus qui intus cõditur. Iure ergo pernicies mentis implicat voluntatẽ turba vitiorum: quæ quum virtutibus decoratur,voluntas manet vidua omni improbitate.

DE VISV,
Cap. III.

QVVM natura animalium in sensu posita sit,ęquũ est tractare sedem visus pretiosissimam.hic enim visu lucet,vitam distinguit à morte. Cæterùm magna est dissentio inter physiologos de visu:ex quib⁹ nonnulli perhibent,oculos sedem visus radiare & fulgere,atque vibrare lucem quam habent ad ea quæ cernimus,neque aliàs intueri possunt. Quidam rati sunt oculos repræsentari speculo, maximéque fenestrari eorum intermedium,ceu pupillam,& reddere vastissimas rerum imagines,exigua quum sit.Aliqui tradiderunt vtroque modo fieri aspectum. nam oculi radiant & fulgorem fundunt ad ea quæ cernuntur, simul quoque excipiunt ac reddunt eorum imagines velut speculo.Certũ est,oculis innatũ esse proprium fulgorem,sine quo præmoriuntur, nec possunt cernere. hic enim suapte natura miscetur externę luci, & præbet rerum conspectum. Neque dubium est, iugiter manere vtriusque sympathiam & mutuam societatem. Cæterùm conuenit omnibus, sensum versari in recipiendo& patiẽdo: qualitas autem

agit, ferítque ſenſum, nec aliàs percipitur. neque enim ſenſus mouet qualitatem: ſed qui rati ſunt oculos effundere ſuam lucem extrorſum, vt cernere poſſint, deprehendebant multorum animalium oculos in tenebris fulgere, & radiare iuxta ac multorum piſcium aridi oculi noctu ſplendent, itémque refulgent putres caudices diuerſarum arborum. ſunt enim perpoliti corporis, ſimilis ſpeculo, donec eius claritas in tenebris ſplendeſcat, apparétque modò in nubilo. Tamē perſpicuum eſt oculos excipere rem omnem quam intuentur, velut ſpecula, & reddere ac regerere eodem modo: quibus meritò obtenditur membrana tranſlucida vitri modo, & polita, quam ſubinde lacrymationum ſaliuæ purificant, vbi obiter quidpiam noxium vrget aciem. Sed quorum animalium oculi noctu refulgent, habent peculiarem claritatem & eximiam, quam in tenebris contueri eſt longè facilimum. Neque enim hebeſcit externa luce ſibi miſta. Iure ergo aciem obtundit colos intentus, ſimúlque luculentum lumen. nam feriunt oculos, eorum ſedem inuadunt, digeruntur per interpoſitum corpus lucidum, infirmántque inſitum fulgorem oculorum: ſin autē oculi contuerentur extramittendo, fuſcíque ſua luce ad ea quæ ſub aciem cadunt, nec coloribus ſaturatis, nec lumine acri hebeſceret acies: quæ nihilominus malè habent oculos. Cōſtat omnibus, & lumen & colores ferri per corpus intermedium tranſlucidum. quocirca in locis vmbroſis nox non opprimit. Pariter aqua torrentium, aut quæ ſtagnat, apparet vireſcere ex frugib⁹ finitimis, quas tellus viridi colore fundit. Cæterùm arduum eſt intelligere quomodo liceat intueri quidpiam per aërem, aut per aliud corpus tranſlucidum, quibus licet ſorbere omnes colores & picturas vicinas, nec vllam eorum imaginem repudiant. Perſpicuum eſt oculos ceu vaſa quædam viſibilem animi partem accipere atque

àtque transmittere, autore Plinio. In hunc ergo modum magna cogitatio obcæcat abducto intus visu, nec in morbo comitiali apertis oculis cernimus animo caligante: siquidem hebes est rerum omniũ sensus, mente laborante, aut vitiato sensu qui intus abditur. Iure ergo animo videmus & cernimus, seligítque per oculos quasi per specula lucem aut colores, qui sunt in deliciis, alios verò abrogat ab vtroque lumine.

DE AVDITV,

Cap. IIII.

SENSVS auditus erat necessarius cũ homini tum multigenis beluis. est enim doctrinæ causa, manéntque sine auditu homines imperitissimi rerũ omniũ, nesciunt iter facere, non fari, non vesci, non artem vllam nouerunt, quam non acceperint. Iure ergo surdis naturaliter sermo eripitur, qui tamen decorat hominem, eúmque disiungit à beluis. namque auditus omniũ disciplinarũ autor nos instruit dissonis rerũ perceptionibus. Porro est dilucidũ ex anatomiis corporis humani anfractuosos aurium sinus continere ossicula intus minutissima, ex quibus duo repręsentant incudem & malleolum, vtrumque ad tertium deligatur, vt consistat, neque vagari possit intra aures. Neque dubium est auditum fieri incudem percutiente malleolo. Quare omnia sonora protinus aures hebetant, adferúntque bombum quiescente sono vehementiori. namque discutiunt ossicula connexa inuicẽ, quę suprapósuimus, donec internũ fremitum edant, apparéntque aures intra seipsæ sonare. Nunc par est illustrare sonum, quia mouet auditum, & oritur qualitas propria rebus omnibus ad sonandum idoneis. Neque Aristoteli assentiri licet, quia perhibet

ſonum edi ex ictu & colliſione rerum quæ ad ſonandum valent, neque audiri quidpiam ſine percuſſu antecedente. Perſpicuum eſt vniuerſos ictus fieri ex coitu & pręcipiti iunctura eorum quę percutiunt: nihilominus quæ violenter ſeparantur inter ſe, ſonum edunt. nam & ligna diſcutiuntur, & lapides colliduntur cum ingenti fragore: ſimiliter bombarda bellica vibrat globos ferreos cum fragore intolerabili: quoniam cōnectuntur fere ſimul, hærent, ſequitúrque ex ictu violenta globi & bombardę ſeparatio. Iam verò ſonus editur ex percuſſu aut ſecretione inſigni, ſe inſinuat per ſpiſſa corpora idonea ad ſonandum, aërem ſubit, ferítque aures: ſiquidem aër ſonat pulſus eodem motu atque ſuprapoſita corpora. Idcirco nonnunquam reſultans per varios montium flexus crebróſque vertices, & concauos vallium ſinus, voces facit reciprocas, quas echo Græci dixerunt.

DE OLFACTV,

Cap. v.

MAGNA eſt diſſenſio inter phyſiologos de olfactu: ſiquidem nōnulli perhibuerunt odores ferire ſenſum, vagari per aërem, aquam, & corpora huius generis, eodem planè modo atque ſonus aures afficit, aut ſtellæ radiant. Quidam tradiderunt, cuncta odore prædita eructare halitus fragrantes, qui ſedem olfactus iugiter ſubeunt. Sanè crediderim vtroque modo ſentiri odores, quoniam ex his nonnulli obiter vaneſcunt, neque diu manent, aliqui ſunt perēnes. Adhæc ex rebus fragrantibus quædā ſtatim marcent & ſeneſcunt, quoniam profundunt abundè halitus odore præditos: nonnullę perdiu integræ manent, nec fuſo odore vllo modo moriuntur. Iam facilè eſt intueri diuerſam rationem olfaciendi ſingulorum animalium,

maliū, quia permulti pisces sagacissimè olfaciūt, nullo ad se odore reuocato. Verùm homines trahunt spiritum, vt olfaciant: siquidem rubra & fungosa caro ac prędita acuto sensu continetur interna parte narium, est olfactus sedes, neque afficitur odore nisi simul cum anima discurrat feriátque traditam carnem. Iure ergo abroganda est sententia eorum qui prodiderunt odores rigare internam essentiam cerebri, & afficere eius excessus maxillis similes, quos rati sunt continere olfactus sedem: quandoquidem obuallātur dēsissima caluaria, polita intus, & vestiuntur vtraque membrana cerebri: quibus omnibus excæcantur riui odorum, neque interna parte cerębrum feriunt.

DE GVSTATV,

Cap. VI.

SENSVS gustatus vt tactus apparet promiscuus animalibus vniuersis: siquidem sigillatim suum saporem appetunt, repudiant alienum: culices quoque acida petunt, pisces salsamentis abiguntur. Cęterò omnium saporum intellectus inest linguæ, sed homines palato quoque saporem percipiunt, Plinio autore. Iam licet refellere eorum sententiam qui tradiderunt sedem gustandi pręcipuā inesse linguæ tunicis. namque degustamus cùm integro linguę corpore, tum palato. proinde sapor omnis priùs miscetur saliuę, deinde rigat internas linguę partes. Cæterò est longè dispar odorum & saporum ratio: quandoquidem malis citreis inest odor acerrimus & suauissimus cotoneis, quorum sapores suntasperrimi: ficis quoque & saccaro nullus odor inest, quorum sapor est in deliciis.

DE TACTV,

Cap. VII.

Cvncta animalia tactu vtuntur, etiamsi ex his nonnulla appareant cæteris sensibus carere. tactus enim denuntiat protinus subesse vitę perniciem, sentit virus eorum quæ tractantur, ac intuetur aliorum gratiam. Iure ergo dispergitur toto corpore vt pernecessarius ad vitam alendam. Cęterò animalia perfecta dixerunt physiologi, vbi constant supradictis sensibus quinque, ex quibus siquis desit, traduntur inperfecta: verùm insecta autor est Plinius vocari ab incisuris, quę nunc ceruicum loco, nunc pectorum, atque alui pręcincta separāt membra tenui modò fistula cohærentia: aliquibus verò non tota incisura eas ambiente rugas, sed in aluo, aut supernè tantùm imbricatis flexilibus vertebris, nusquam alibi spectatiore naturæ rerum artificio.

FINIS.

Index Capitum Animaduerſionum Naturalium in Gal.

Index capitum animaduerſionum naturalium in Ariſtotelem.

INDEX EORVM QVÆ continentur in hoc opere.

alend

cib

elleb

hem

vrin

FINIS.

Errata singulorum Aphorismorum.

pag.3.lin.24.lege,in ianiores.ea.29.autoribus.7.7.vita.8.13.exinaniũtur.9.3.deficiẽtẽ.28.2.oneratũ.e.25.metũ.29.15.intẽdũt.42.2.quorũ 52.8.quò.73.12.intolerabiles.76.2.Nũc.80.19.lacerãtur.e.20.denũciãt.90.3.abscessus.91.23.queq; haud manet.93.24.par imparue.97.33.eum.99.18.nulla.e.23.neque.104.4.malis.110.4.oĩ.112.14.bene 123.33.emittitur.e.7.laxántque.127.31.fore.133.23.exit extrorsum 135.25.febris.148.26.leniũtur irritas.154.6.incõmodis.159.11.medicinã.160.8.nulla.162.5.iam.165.26.mentis.166.18.rigor.170.6.& suppurationẽ.e.21.adferũt.172.33.leuia.176.15.ciborum.183.2.forbitue.188.26.iucundè.

Errata singularum Animaduersionum.

7.18.narrare.9.7.plerique.11.15.geminæ.12.16.riuis.13.21.istis.17.3.expectorbnt.e.26.eructare.e.29.poßit.e.32.excacat.19.22.quã.e.33 præbet.21.51qquæ.22.35.sentit.25.34.deuorãtur.35.21.cogũtur.38.29.somno altiore.41.22.alia.43.11.incõmodis. 61.34.euidẽter tactũ quẽ.64.6.actu.72.26.fiunt.73.22.suscipiẽda.77.10.effecta.82.5.percõtabimur.84.20.tractus.89.19.occurrũt.90.8.sursum.91.23.neque.94.20.vbique.99.10.stillas.103.2.pura.e.4.deleatur.107.14.mortuis 111.13.lauis.112.24.fusóque.